

BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA



LAMBERTI BOS

LINGV. GRAEC. IN ACAD. FRANEQV. PROFESS.

ANTIQVITATVM GRAECARVM

PRAECIPVE

ATTICARVM

DESCRIPTIO BREVIS

CVI

TESTIMONIA E FONTIBVS ET QVASDAM OBSERVATIONES

ADIECIT

M. IO. FRIDER. LEISNERVS

EDITIO NOVA PRIORIBVS AVCTIOR ET EMENDATIOR.

CVM PRIVILEGIO ELECT. SAXON.

LIPSIAE,

SVMTIBVS CASPARI FRITSCH.

MDCCLXVII.

BIBLIOPOLA LECTORI.

Cum Celeberrimus LEISNERVS, *noua hac antiquitatum graecarum editione a typographo propemodum abſoluta, humanis rebus exemtus ſit, faciendum putaui, vt eius praefationis loco, quam ipſe ſcribere decreuerat, admonitionem quamdam de augmentis et correctionibus huius editionis praemitterem, ne plane ignorarent Lectores, quantum ea ſuperioribus praeſtaret. Diu iam collegerat* LEISNERVS, *quae addi ſuo tempore huic libro poſſent, cuius recudendi ſpem emtorum multitudo fecerat: quae, quamquam non permulta ſunt, (noluit enim librum tironum cauſa editum nimis augeri,) reperientur tamen ſuis locis, et intelligentibus vtilitatis delectusque commendatione probabuntur. Plus operae impenſum eſt innumeris operarum erroribus tollendis, quibus nupera editio deturpata fuerat. Quam moleſtiam cum in ſe ſuſcepiſſet Vir doctiſſimus* IOANNES GODOFREDVS SCHOENKNECHT, *qui*

theologiam ac liberales artes per multos annos ſtudio inſigni tractauit, ita operoſe et diligenter ſingula inſpexit ac conſtituit, vt neminem fore arbitremur, quin per eum huic editioni multum boni acceſſiſſe agnoſcat. In primis, probante LEISNERO, *indicem vnum eumque plane nouum confecit, cum quatuor illi indices priorum editionum, ipſo editore iudice, et vberiores et inutiles eſſent: ſpectatum enim hoc eſt, vt, ceteris omiſſis, ritus antiqui omninoque ea, quae ad antiquitates referuntur, colligerentur, id quod tironum conſilio ſatisfacere viſum eſt. Ceterum nemo aegre feret,* LEISNERO *hunc honorem habitum eſſe, vt praefatio primae editionis, anno* 1749 *ſcripta, repeteretur, praeſertim cum ibi de quibusdam monuiſſet, quae, etſi in ipſo libro corrigi debuerant, inſerere tamen ſuis locis oblitus erat.*

Lipſiae, d. XX. Februarii.
CIƆIƆCCLXVII.

Lectori

Lectori Beneuolo

S. D.

Ioannes Fridericus Leisnerus.

Etsi libellorum de Graeciae Antiquitatibus exponentium nulla penuria est, placuisse tamen prae ceteris, atque aliquem plausum tulisse hanc *Antiquitatum Graecarum, praecipue Atticarum breuem descriptionem,* quam viro doctissimo, Lamberto Bosio debemus, ex repetitis illius aliquoties et passim editionibus intelligas. Praeterquam enim quod primum, praetermisso Auctoris nomine, Franeckerae cIↃIↃCCXIV. et postea Bernae et Francofurti cIↃIↃCCXVI. tum Hafniae cIↃIↃCCXXI. ac denique Francofurti cIↃIↃCCXXX prodiit; vulgatae etiam sunt duae his recentiores editiones, altera quam V. C. Iulius Carolus Schlaegerus, Professor Helmstadiensis adornauit Helmstadii cIↃIↃCCXXXIX. altera, quae recusa est Lugduni Bat. cIↃIↃCCXL.

Si huic libello aliquod, quamuis exiguum pretium, poſt additas a nobis obſeruationes, accedere, harum literarum periti iudicabunt; bene nobiscum praeclareque agi exiſtimabimus. Alioquin ſaepe fieri, vt optimi quique libri obſeruationibus non tam ornentur, quam onerentur, et vt bonorum ſcriptorum purpurae veluti quidam panniculi adſuantur, nos non praeterit. Cuius generis non ſunt tamen obſeruationes peraeque omnes. Laudem haud dubie illae ferunt, quae vel certiora illa, quae ab aliis propoſita fuerunt, efficiunt, vel perſpicuitati conſulunt.

Ad vtros referendi ſimus, Tuum eſt, L. B. iudicare. Laborauimus certe, et enixe operam dedimus, vt, quae a Lamberto Boſio perſpicue, et ſeruata diligenter ordinis lege, praetermiſſis tamen auctoritatibus, poſita erant, ea idoneis teſtimoniis firmaremus. Ante, quam ad hunc laborem accederemus, indixeramus nobis ipſi hanc legem, vt nullam enunciationem Lamberti Boſii praetermitteremus, quin eam adducto aliquo, ſiue ex ipſis fontibus, ſiue ex illis, qui ſua ex fontibus deriuarunt, teſtimonio probatam daremus. Qua in re plus nobis laboris exhauriendum fuit, quam cogitando praeſenſeramus. Quamquam enim diligentia doctiſ-

ſimorum

ſimorum virorum, Caroli Sigonii, Ioannis Meurſii, Io. Potteri, Io. Godofredi Lakemacheri, Eliae Stoeberi, aliorumque ſaepiſſime nobis adiumento fuit, tamen fuit non raro, vbi auxilium ab his fruſtra peteremus; cum, quia probanda erant non pauca, quae laudati viri docti in ſuis operibus non attigerant, tum quia ſeueriorem, quam plerique eorum, in allegandis veterum auctorum teſtimoniis, legem ſequebamur. Carolus Sigonius, Io. Meurſius, et Io. Potterus vt plurimum ſatis habent, auctores nominare, vnde peti teſtimonia poſſint, omiſſa fere mentione librorum, capitum, paragraphorum, et paginarum. Horum vero omnium in citando rationem habendam eſſe, ſicubi opus eſſet, fierique poſſet, duximus. Neque veremur, ne futuri ſint, qui hic nimiam nobis diligentiam, iuſtoque ſcrupuloſiorem exprobrent. Quum enim viri doctiſſimi, iique permulti hac religione opus eſſe ad auctoritatem latinis, graecisque vocabulis conciliandam exiſtimarint, quidni eandem curam, eandemque diligentiam, quamuis moleſtam, cultiſſimae gentis inſtitutis, moribus ac ritibus explicandis adhibendam putemus?

Deonerauit aliquid de hoc labore noſtro, et in ſe tranſtulit diligentia doctiſſimi viri, Godofredi Auguſti Lobekii, qui cum ceterarum, tum elegantiorum literarum ſtudium tam feliciter, quam diligenter tractat. Is enim in Quatuor Capitibus, *de Nuptiis, de Ritu Nuptiarum, de Diuortiis,* ac *de Adulteriis,* quae eius induſtriam iam antea exercuerant, non mediocre adiumentum nobis attulit.

Fortaſſe erunt, quibus ſuperuacanea plurium auctorum citatio videatur, quique multis aduocandis tum certe ſuperſederi potuiſſe dicant, vbi vno teſtimonio ſtari poterat. Sed hi nobis facile ignoſcent, ſi dixerimus, nos iis etiam lectoribus proſpectum hac opella noſtra voluiſſe, quibus non omnes libri a nobis citati ad manus ſunt, vt ſi vnum auctorem inſpicere et conſulere non licet, alterum aut reliquos liceat.

Teſtimonia ex aliorum operibus ſicubi in hoc opuſculum noſtrum transtulimus, ea ita transtulimus, et vſi ſumus pro noſtris, vt non ante adhiberemus, quam ipſi inſpexiſſemus, certamque citationum fidem cognouiſſemus, paucis tamen exceptis, *Orphei* et *Artemidori,* qui duo ſcriptores neque inter noſtros libros ſunt, neque in aliorum huius vrbis bibliothecis. Ita factum eſt, vt et quaedam


dam male citata corrigere possemus, nec errores typographorum repeteremus; id quod parum abest, quin accidisse credamus Pottero, interdum, aliique viro non indocto, cuius nomini parcimus. Quum enim vterque horum, aut certe alteruter ex Kirchmanno *de Funeribus* l. IV. c. 5. n. 13. p. 168. quaedam sumsissent, eos etiam transscripsisse deprehendimus vitia aliqua operarum, v. c. τάλεμος pro ἰάλεμος.

Nec vero his se finibus passa est cura nostra cohiberi: non raro ad examen testimoniorum, quae vulgo ad rituum graecorum veterum demonstrationem aduocari solent, accessimus. Quo id consequuti sumus, vt aliqua, si non falsa esse argueremus, tamen adduceremus in suspicionem, et dubia redderemus, eaque examini vel nostro vel aliorum relinqueremus. Cuius generis sunt, quae p. 6. adferuntur, *de tempore, quo Athenarum vrbs hoc nomine denominari coepit;* quae porro p. 11. *de duodecim Diis magnis;* quae p. 18. *de differentia, quae est inter* Ἥρωας *et* Δαίμονας; quae p. 19. *de Diis ignotis;* quae p. 33. *vbi mos Romanus tribui videtur Graecis;* quae p 53. *de donis Apollini Delphico offerendis;* quae p. 63. *de Psychomantiis Ciceronis male intellectis;* quae p. 65. *de voce* ὄπται; quae p. 124. *de duratione ordinatae a Solone*

reip. quae p. 152. *de δίκη παρανοίας*; quae p. 161. *de aetate militari;* quae p. 162. *de ſtigmatibus militaribus;* quae p. 195. *de bolide.* Mittimus cetera.

Interim libenter facimus, vt huiuscemodi doctorum virorum erratis, ſi modo errata eſſe deprehenduntur, veniam demus, quo faciliores lectores in eadem nobis danda habeamus. Nam per feſtinationem, non quidem neceſſariam, interim a librario nobis extortam, excidiſſe nobis quaedam obſeruauimus, quae nunc deleta cupimus. Scilicet p. 28. et p. 65. male ad duos auctores prouocauimus, ad Ioſephum et Phaedrum. Pro Ioſepho conſuli poſſunt, quae habet Caſaubonus *ad Capitolinum* p. 59. edit. Pariſ. an. 1620. pro Phaedro reliqui, qui ibi a nobis laudantur, ſcriptores.

Habes L. B. totam conatus noſtri induſtriaeque rationem, cui ſi Tu pro humanitate Tua fauebis, nobis ad plura, et fortaſſe grauiora ſuſcipienda ſtimulos addes. Scripſi Cizae die VII. Kalend. Septembr. anno cIↃIↃCCXLIX.



INDEX



INDEX CAPITVM.

PARS PRIMA.
DE RELIGIONE GRAECORVM.

Cap. XIII.

CAPITVM.

PARS SECVNDA.

DE CIVILIBVS.

PARS TERTIA.

DE REBVS MILITARIBVS.

PARS

PARS QVARTA.

DE REBVS DOMESTICIS.

Cap. XVI.

INDEX CAPITVM.



LAM-




LAMBERTI BOS ANTIQVITATVM GRAECARVM BREVIS DESCRIPTIO.

PARS PRIMA

DE RELIGIONE GRAECORVM.

Gentis graecae, et praecipue Atticae, mores, et inſtituta vetera, publica et priuata, ſacra ſcilicet, ciuilia, militaria, et domeſtica breuiter deſcripturi, primum locum dabimus ſacris. Sed verbum praemittendum de Graeciae ſitu etc.



CAP. I.

DE SITV GRAECIAE, ATTICAE ET ATHENARVM.

I. Graecia vetus a) in Europa ab occaſu Epiro, a ſeptentrione Macedonia, et Aegaei maris parte, ab ortu Aegaeo, a meridie Ionio terminatur b). Dicta eſt regio Ἑλλὰς c) et populi ἕλληνες ab Hellene quodam.

a) Graecia vetus eſt vel in Europa, quae ἔντος Αἰγαίȣ citra Aegaeum; vel in Aſia, quae πέραν Αἰγαίȣ, vltra Aegaeum dicta fuit. Pauſan. Eliac. I. Graecia in Europa ſubdiuiditur in eam, quae ἔντος Ἰωνίȣ, citra Ionium, et in eam, quae πέραν Ἰωνίȣ vltra Ionium fuit. Haec μεγάλη Ἑλλὰς Athen. XII, 5. pag. 523. Strabo VI. init. Graecia magna Plin. III, 5. et 10. Graecia maior. Liu. XXXI, 7. Ouid. *Faſt.* IV, 64. Cic. *de Orat.* II, 37. Sed alio

ſenſu accipe magnam Graeciam apud Ouid. *Heroid.* XVI, 340. Magna illa Graecia eſt Graecia citerior Liu. VII, 26. Graecia ſubciſiua Apulei. *Apol.* p. 294. conf. Porphyrius in vita Pythagorae p. 26. Sed quae ſit magna Graecia, quibus finibus terminata fuerit, omnium diligentiſſime declarare ſtuduit Mazochius in Commentar. in aeneas tabulas Heracleenſes Neapol. 1754. P. I. diatrib. I. c. 1—9.

b) De finibus Graeciae varii varie. V. Palmerius *in Graecia antiqua.* c. I. Ex veteribus Dionyſ. *Perieg.* v. 398. ſeq. Strabo init. l. VIII. Mela II, 3.

c) Vox Ἑλλὰς modo anguſtioris, modo latioris ſignificatus eſt. *Primo* vna tantum vrbs in Phthiotide ab Hellene Deucalionis filio, condita, Hellas dicebatur, de qua vrbe Homer. ιλ. β. 190. *Secundo* pro parte Theſſaliae Phthia. *Tertio* pro tota Theſſalia. *Quarto* pro vniuerſa Graecia, excepta modo Peloponneſo, modo Macedonia, modo, quod mireris, Theſſalia ipſa, modo Epiro: Vnde liquet, quo ſenſu dicat Pauſan. *Attic.* c. XI. Ῥωμαίυς δὲ ὐδένα Πύῤῥυ πρότερον πολεμήσαντα ἴσμεν Ἕλλησι. *Quinto* pro Graecia tota et vniuerſa, nulla harum regionum accepta, cis Aegaeum ſita. *Sexto* denique pro omnibus regionibus, quae a Graecis habitabantur, ſiue in Europa, ſiue in Aſia ſitis. Haec omnia probat Palmer. *Graec. Antiqu.* I, 3.

d) Hellenem, a quo ἕλληνες dicti feruntur, plerique faciunt Deucalionis filium. Marmor Oxon. n. 10. Thucyd. I, 3. Strabo VIII.

II. Antiquiſſimorum vero Graecorum nomen non eſt ἕλληνες, ſed γραικοὶ, a) vnde ab Romanis dicti Graeci. Apud Homerum quidem non reperitur hoc nomen γραικῶν: Occurrit tamen apud alios antiquos poetas et proſae ſcriptores, ita ſcilicet dicti a Γραίκῳ b) Theſſali filio.

a) Γραικῶν appellatio occurrit in Marmor. Oxon. n. 10. 11. Ariſtot. *Meteor.* I, 14. Lycophron. v. 532. 891. 1195. 1338. Idem v. 605. Γραικίτας vocat. Cur Romani

ni Graecos potius dixerint ab obsoleto Γραικῶν nomine, quam Hellenes ab recentiore, disputat Palmerius *Graec. Antiqu.* I, 2. v. Plin. IV, 7. et Harduinus sect. 40. p. 234.

b) Quis Γραῖκος fuerit, incertum. Eusebius *Chron. I. de Argiu. Regibus* n. 35. Thessali patrem, Stephanus vero in Γραικός eius filium facit. Aeque incertum videtur, vtrum Graeci ab hoc Graeco, Rege, an vero aliunde denominentur. Hillerus a Γραῖα dictos putat, id est *terra*. Hesych. Γραῖα πόλις, γῆ ἡ καὶ Δημήτηρ, vt Graeci nihil aliud sint, quam γηγενεῖς, *Terrigenae*. Conf. Meurs. *ad Lycophr.* v. 532. vel αὐτόχθονες. Kircherus et Hornius a Patriarcha רְעוּ. de quo Gen. XI, 18. qui dicitur a Luca III, 35. Ῥαγαῦ. Caspar Abel in *Histor. Monarch.* pag. 483. sq. a Γραῖα *Anus*, vt sint Graeci quasi *aniles* opprobrii causa ab externis nationibus dicti. Quo pertinere putat loquutiones Latinorum: *Graeculus*, *Graecari*, etc. magnam *animi* leuitatem innuentes. Eidem tamen Abelo magis placet, Graecos dictos ab antiquo Celtarum vocabulo Reke, i. e. *Gigas*, litera g ob pronunciationis asperitatem praefixa. Sic Rhaetos in Grisones mutatos videri putat. Suae coniecturae Hesychium fauere addit, quo teste Graeci olim quoque Ῥαῖκοι nominati fuerint.

III. In Graecia celebris est Attica, quae ab ortu habet Aegaeum mare, a meridie sinum Saronicum, ab occasu Megaridem, a septentrione Boeotiam.

De Attica, eiusque finibus Strabo l. IX. init. Plin. IV, 7.

Megaridem olim partem Atticae fuisse ostendit Strabo l. c. Pausan. V. Reimanni Ilias post Homerum p. 357. Vnde Attica, quae et *Actaea*, *Acte*, *Atthis* vocatur, nomen acceperit, vide apud Stephanum in Ἀκτή. Casp. Abel. l. c. p. 606. Atticam vel Atthida dictam ab Atthide, Cranai filia, tradit Eustath. *ad Dionys. Perieg.* p. 322. Strabo IX. p. 273. De variis Atticae denomi-

nominationibus Euſtath. *ad Dion. Perieg.* p. 222. ſqq. Strabo IX. p. 273.

IV. Attica olim Ἰωνία dicta, vt patet ex inſcriptione a) quadam vetere in ſtatua, non quidem ab Ione, b) Xuthi filio, vt volunt Graeci; Sed ab alio antiquiore c) Ione, qui Hebraeis eſt Iauan, filius Iaphet: vnde etiam Graecia in ſacris literis appellatur Iauan d)

a) Inſcriptio legitur apud Strabonem IX. init. Atticam olim Ioniam dictam teſtatur Strabo his verbis lib. IX: ἡ Ἀττικὴ τὸ παλαιὸν Ἰωνία καὶ Ἰὰς ἐκαλεῖτο. Teſtatur et Stephanus in Ἰωνία. Heſych. in Ἴωνες. Vnde Athenienſes non modo κοῦροι Ἀθηναίων, item Δῆμος Ἐρεχθῆος, ſed et Ἴωνες ab Homero dicti eſſe creduntur. Ἰλ. N. v. 480.

b) Ioniae nomen Graeci ipſi deducunt ab Ione, Xuthi filio, Herodot. VII. p. 470. Strabo VII. ſub fin. p. 164. IIX. 273. vel Apollinis et Creuſae filio, Apollodor. I, 7. §. 2. Pauſan. *Attic.* I, 29. p. 68.

c) Ioniae nomen ab antiquiore Ione deducendum eſt, qui Hebraeis eſt Iauan, filius Iapheth. Gen. X, 2. Hebr. יָוָן, quod nomen neglectis punctis fortaſſe pronunciandum eſt *Ion.*

d) Graecia in ſacris litteris appellatur Iauan. Ieſ. LXVI, 19. יָוָן Dan. VIII, 21. vbi מֶלֶךְ יָוָן exponunt de Rege Graeciae. Dan. X, 70. Adde Ezech. XXVII, 13. 19. Addo Iudaeis et hodie graecam linguam יונית Iauanit vocari. Accedit, nomen filii Iauanis Eliſae, de quo Gen. X, 4. אֱלִישָׁה in nomine Elis, quo antiquiſſimum Peloponneſi regnum denominatur, ſupereſſe. conf. Ioſeph. *Antiqu.* I, 7. Plura, quae huc pertinent, habes apud Bochart. *in Phaleg.* III, 3. et Caſp. Abel. *l. c.* p. 486. ſq.

V. Fuere in Attica multae vrbes, a) ſed omnium nobiliſſima Athenae, ſitae prope Eleuſinem, b) ſacris Cereris nobilem. c) Ambitus Athenarum fuit ſtadiorum CLXXVIII. d)

a) De

a) De vrbibus Atticae, montibus, fluminibus, etc. Plin. IV, 7. Strabo IX. non longe ab init. Scylax. p. 47.

b) Post Athenas nobilissima Athenarum vrbium Eleusis vel Eleusin. Vnde sit dicta, incertum est. Pausan. *Attic.* c. 38. et Harpocrat. in Ἐλευσίνια putant nomen accepisse ab Eleusinio, Mercurii filio: auctor Etymologici in Ἔλευσις, διὰ τὴν τῆς Δημητέρος ἔλευσιν *propter Cereris aduentum*, Diodor. Sic. V. p. 336. quod aliunde allatum semen eo peruenerit ἀπὸ τοῦ ἐλθεῖν.

c) Sacra Cereris dicta Eleusinia, de quibus infra de Festis Graecorum.

d) De ambitu Athenarum Dio Chrysost. *Or.* VI. p. 87. Aristides Panathen. cf. Wesseling. *ad vetera Rom. Itineraria* p. 326. cf. Xenoph. *memorab. Socr.* III, 6. §. 14.

VI. Pulcherrima fuit vrbs a) quamdiu floruit, Musarum sedes, et bonarum artium inuentrix b), vnde poetis Latinis merito doctae vocantur Athenae c).

a) De pulchritudine Athenarum vrbis poterunt iudicare, qui legerunt Pausaniae Attica, et Meursii varia de hac vrbe scripta. Ea pulchritudo vrbis caussa fuit, cur Lysippus apud Dicaearchum ita caneret:

εἰ μὴ τεθέασαι τὰς Ἀθήνας, στέλεχος εἶ.
εἰ δὲ τεθέασαι, μὴ τεθήρευσαι δ', ὄνος.
εἰ δ' εὐαρεστῶν ἀποτρέχεις, κανθήλιος.

Si nunquam Athenas vidisti, stipes es.
Si visa vrbe haud captus es, asinus es.
Si captus abis, cantherius es.

b) Laudes in Athenienses, partim ob doctrinam et ingenium, partim ob fortitudinem, partim ob alia collatas vide apud Thucyd. II, 41. vbi Pericles vocat παίδευσιν Ἑλλάδος. Diodor. Sicul. XIII, 27. qui vocat κοινὸν παιδευτήριον πάντων ἀνθρώπων. Aeschines *contra Ctesiphont.* p. 293. similiter vocat κοινὴν καταφυγὴν τῶν Ἑλλήνων. Apud Aelianum Var. Hist. IV, 6. Pythia ipsa vocat τὴν κοινὴν ἑστίαν τῆς Ἑλλάδος, communem aram Graeciae, quia scil. nusquam facilius, quam isthic, exules reciperen

ciperentur. Vid. Pindar. Nem. *Od.* IV, 29. sq. Aristoph. Νεφ. 298. et ibi Schol. Isocrates in *Panegyr.* passim. Iulianus *in Epist. ad S. P. Q. Atheniensem.* Ex Lat. vid. Cic. *pro Flacco* c. 26. et *de Orat. I*, 4. Lucret. lib. VI. v. 1. sqq. Stat. *Theb.* XII, 500. Nepos *Attico* c. 3. Mela II, 3, 56. Flor. III, 5. §. 8.
Conf. Meursii *Athenae Atticae.* Muret. V. L. IV, 1.

c.) *Doctae* vocantur *Athenae* Propertio I, 6, 13. III, 20, 1. it. Q. Rhemnio Fannio Palaemoni *de Ponderibus* v. 17. sq. et v. 39. *Tenues*, i. e. *subtiles* dicuntur a Martial. VI, 64. v. 17. conf. Cic. *de Orat.* III, 11.

VII. Principio non tam magna et ampla fuit. Nam primo vrbs tota erat, quae postea arx fuit, a) dictaque Cecropia a Cecrope primo eius conditore b). Postea vero rege Amphictyone Vrbs appellata Athenae c).

a) Plin. VII, 56. Anonymus περὶ Απίςων c. 1. apud Galeum p. 85.

b) Plin. VII, 56. Hic ergo Cecrops nomen dedit 1) vrbi, 2) regioni. Apollodor. III, 13. 3) tribui. Steph. in Κεκροπία.

c) Iustin. II, 6. Isidor. *Orig.* XV, 1. A quibus dissentiunt Hyginus *fab.* 164. qui Mineruam, et Plutarchus *in Theseo*, qui Theseum Athenis nomen dedisse scribunt. Marcianus denique in περιήγησει apud Meurs. *de Fortun. Atheniens.* c. 2. regnante Erechtheo Athenas appellatas testatur. Adde, hinc illustrari posse Euripid. *Herc. Fur.* 1166. vbi Athenas vocat Ἐρεχθειδῶν πόλιν. Quo auctore Potterus, regnante Erichthonio Athenas dictas esse tradat, nescio (v. Potteri *Archaeol.* I, 8.) nisi forte scribere voluit *regnante Erechtheo.* De aliis Athenarum nominibus v. Strabo. IX. p. 273.

VII. Non conuenit inter eruditos, vnde sic dictae Athenae. Volunt nonnulli a Chaldaico *Thena, studere, docere,* esse nomen, et Athenarum titulo demum esse insignitam hanc vrbem, quando

quando maiore cum ſtudio ſeſe dabant ciues literis humanioribus. Alii aliunde.

Athenas dictas eſſe putant 1) alii a חָנָה vel חָנָא *diſcere.* 2) alii cum Hillero ab אַתִין i. e. ciuitas Pelasgorum, hoc eſt, aduenarum, ab אָתָה *aduenit* 3) Caſp. Abel *in Hiſtor. Monarch.* p. 607. ab אֵיתָן i. e. *robuſtus, validus;* cuius deriuationis rationes ſatis ſpecioſas adfert. 4) alii ab Atthide Cranai filia. v. Strabo IX. p. 273. Pauſan. *Attic.* I, 2. 5) Platoni eſt quaſi θεονόη *diuina mens.* Ab his diuerſam notationem habet Lackemach. p. 42.

IX. Sed potius ita dicta videtur a Pallade, quae Graecis Ἀθήνη. Non tamen petenda nominis origo a certamine Palladis et Neptuni a) vt fabulantur Graeci; ſed quod Amphictyon vrbem hanc Ἀθήνη *Mineruae* conſecrauit b), quod Deae nomen ab Aegyptiorum lingua arceſſendum videtur c).

a) De certamine hoc Palladis et Neptuni Apollodor. III, 13. Ouid. *Met.* VI, 70. ſq. Seru. *ad Virg.* I. *Georg.* 13. et alii, quos citat Meurſ. *de regno Athen.* I, 10. et Burmannus *ad Ouid. l. c.* et *de Ioue Fulgeratore, c.* 8. p. 281. ſq.

b) Amphictyonem Athenarum vrbem Ἀθήνη *Mineruae* ſacraſſe, teſtis Iuſtin. II, 6. Iſidor. *Orig.* XV, 1. Hinc dicuntur καλλάδος πόλις a poetis v. c. Aeſchylo *Perſ.* 347. et *Virgineae Cecropis arces* Val. Flacco V, 647. *armigerae Tritonidis arces* Petron. c. 5. Sed haec quidem certa: inde tamen vrbem Athenarum nomen accepiſſe, nondum certum. Qui perpendit, decem huius nominis vrbes olim fuiſſe, vt arguit Abel. *l. c.* ei fortaſſe auctoris noſtri opinio non ſatis placebit.

c) Phurnutus c. 20. τὸ δ᾿ ὄνομα τῆς Ἀθηνᾶς δυσετυμολόγητον, διὰ τὴν ἀρχαιότητα *difficulter nominis* Ἀθηνᾶς *Etymologia, ob vetuſtatem, inueſtigari poteſt.* Is tamen nonnullas etymologias adfert. conf. Heraclid. *Allegor. Homer* p. 435.

p. 435. Capello Ἀθηνᾶ dici videtur אדרני *Domina.* Quasdam ſed ineptas maximam partem etymologias collegit Iulian. Aurelius *de cognom. Deorum Gentil.* II, 3. Verior haud dubie etymologia eſt, quam legas apud Pluche in libro ingenioſiſſimo, qui inſcribitur *l'Hiſtoire du Ciel* l. I. c. 11. §. 14. vbi deriuat á אטין vel אֵטוּן vel אֵטוּנָה *Atona, licium, linteum aegyptiacum.* Prou. VII, 16. vt ſit Ἀθηνᾶ Dea ὑφαντικῆς *textoriae artis*, quae dicitur et ἐργάνη. Ael. *V. H.* I, 2.

X. Vocarunt etiam Athenienſes κατ' ἐξοχὴν hanc ſuam vrbem ἄϛυ, vnde paſſim non ſolum apud Graecos, ſed etiam apud Romanos ſcriptores inuenias ἄϛυ pro vrbe Athenarum [a]).

a) Stephanus in Ἀλεξάνδρεια. ἐλέγετο (nempe Alexandria) κατ' ἐξοχὴν πόλις, ὡς Ἄϛυ καὶ Ἀθῆναι καὶ ἀϛοὶ καὶ ἀϛικοὶ οἱ Ἀθηναῖοι, ὡς καὶ ἐπὶ Ῥώμης λέγεται ὗρψ. Si igitur memineris, etiam Troiam apud Homerum πόλιν ſine vllo epitheto vocari, datum fuiſſe quatuor vrbibus reperies, vt *vrbes* per excellentiam dicerentur, Troiae, Athenis, Alexandriae Aegyptiae, Romae.

Dicta autem hoc nomine eſt Athenienſium ciuitas, excluſo Piraeeo. Nep. IX, 4. De differentia, quae eſt inter *Atticos* et *Athenienſes* v. Bourdelot. *ad Petron.* c. 2.



CAP. II.

DE DIIS GRAECORVM.

I. Religionem accepiſſe videntur Graeci partim ab Aegyptiis, [a]) partim a Thracibus, [b]) a quibus Θρησκείας vocem dictam putant; partim a diuerſis variorum populorum colonis, qui ibi ſedes fixerant [c]).

a) Herodot.

a) Herodot. II. ſub init: p. 102. et p. 123. Diodor. Sic. I. p. 25. ſq. p. 62. ſq. et p. 86. et alii, quos citat Spencer. *de legibus Ebr. ritualibus.* II. diſſ. I. ſect. 2. p. 650.

Id etiam ex eo veriſimile eſt, quod Cecrops et Danaus, Athenarum et Argorum conditores, Aegyptii fuerint. De Cecrope vid. Schol. Ariſtoph. *ad Pl.* 773. Tzez. *ad Lycophr.* v. 111. conf. Th. Gale *ad Apollod.* III. 13. p. 85. De Danao *Apollod.* II, 1. 4. Diſſentit hoc nomine ab Herodoto Plutarchus *in l. de malignitate Herodoti* p. 857.

b) Eurip. *Rheſ.* v. 943. Ariſtoph. *Ran.* 1064. Vnde a Thracibus θρησκείας vocem ſunt, qui dictam volunt. Plutarch. *in Alexandro*, ab init. p. 665. Suidas in θρησκεύει. Gregor. Nazianz *Orat. III.* p. 100.

c) v. c. Pelasgis *Herodot. II.* p. 123. et Phoenicibus. *Herodot. V.* p. 351.

II. Antiquiſſimi Graeci, et multi alii populi, pro Numinibus coluerunt Coelum, Solem, Lunam, Sidera, et Tellurem [a]), quae quoniam in perpetuo motu et curſu eſſe cernebant, Θεὺς dixere *ἀπὸ τῦ θέειν, a currendo:* [b]) licet nomen Θεὸς aliunde deduci etiam queat [c])

a) Socrates apud Platonem *in Cratylo.* conf. Plutarchus *de Placitis philoſoph.* I, 6.

b) Plato et Plutarchus l. c. Phurnutus Macrob. *Saturn. I,* 22.

c) Deducitur v. c. 1) a voce Ζεὺς Aeolice Δεὺς Phurnut. c. 2. 2) ab Hebr. דַּי. 3) a δέος *Timor.* 4) ab αἴθειν, *ardere.* 5) a θεᾶσθαι *videre.* 6) a θεωρέω *ſpecto.* 7) a τίθημι *pono.* 8) a θῶ, i. e. ποιῶ. conf. Suiceri *Theſaur. Eccleſ.* in Θεός.

III. Dein ex Aegypto translata ſunt Deorum nomina [a]). Praeter quae progreſſu temporis alios atque alios adſciuere Deos [b]) quorum

 omnium

omnium nomina recensere longum foret. Praecipuos indicasse sufficiet.

a) Herodot. II. p. 123.

b) v. c. Dioscuros a Pelasgis, Neptunum a Libybus. Herodot. *l. c.*

Aliarum gentium, quibuscum commercium habebant, Numina suis addidisse videntur, modo senatus Areopagitici iudicio essent approbata. Hoc colligitur ex Harpocrat. in Ἐπιθέτους ἑορτὰς ex Etymol. M. et Suida in eorundem verborum explicatione, et clarius ex Iustino Martyre *in Exhortatione ad Gentiles.* p. 20. C. Vnde ratio eorum reddi potest, quae leguntur Act. XVII. 19. Idem colligitur ex Θεοξενίων festo, de quo Casaub. *ad Athenaeum* IX, 3. p. 405.

Immo ne quem Deorum negligere viderentur, Deos etiam ignotos coluerunt. Pausan. *Eliac.* I, 14. Lucian. Philopatr. sub fin. Act. XVII, 23.

De idolomania Attica v. Schol. Aristoph. *ad Nub.* v. 304. Vnde lux Paullo. Act. XVII, 16. 22.

IV. Pro variis mundi partibus habiti sunt alii *Coelestes*, alii *Terrestres*, alii *Inferi*. *Coelestes* graece dicti Ἐπουράνιοι, Ὀλύμπιοι, Ἀθάνατοι. a) *Terrestres*, Ἐπιχθόνιοι, Ἥρωες. b) *Inferi* χθόνιοι, Ὑποχθόνιοι, Καταχθόνιοι c). Primo et maximo honore culti *Coelestes*, secundo *Terrestres*, postremo *Inferi*.

a) item οὐρανίδαι et οὐρανίωνες apud Poetas passim. Aristoph. Scholiastes *ad Nub.* v. 246. alios Deos οὐρανίωνας, alios ὀλυμπίους tradit: οὐρανίωνας nempe veteres Deos sub Saturni imperio: ὀλυμπίους autem recentiores sub Ioue. vid. Diodor. Sicul. IV. p. 223. Aelian. *V. H.* V, 12.

b) item Ἐπίγειοι, quo pertinent etiam θαλάσσιοι.

c) item Ὑποταρτάριοι, Στύγιοι.

Ceterum de hac diuisione v. Aurea carmina Pythagorae ab init. Vnde etiam illud intelligitur, quibusnam praecipuus cultus tribuendus sit. Adde Porphyr. *de*

antro

antro Nymph. p. 233. l. 42. et praef. Salmasii *ad Tabulam Cebetis.* Eadem diuisione vtuntur viri docti ad illustranda loca Scripturae Sacrae: Exod. XX, 4. Phil. II, 10.

V. Inter Deos illos familiam ducunt XII. a) quos *μεγάλυς θεὺς* vocabant b), quorum nomina haec sunt c)

Ζεὺς, Iupiter,	Ἥρα, Iuno
Ποσειδῶν, Neptunus,	Ἄρης, Mars,
Ἀπόλλων, Apollo	Ἑρμῆς, Mercurius,
Παλλὰς, Minerua,	Ἄρτεμις, Diana,
Δημήτηρ, Ceres,	Ἀφροδίτη, Venus,
Ἥφαιστος, Vulcanus,	Ἑστία, Vesta.

a) De hoc XII. Deorum numero v. G. d' Arnaud *de Diis παρέδροις* c. 6. sq. Horum numero addidit se ipsum Philippus. Diodor. Sic. XVI. fin. vnde τρισκαιδέκατος Θεὸς dictus Stob. *Serm.* 147. Demades addere voluit Alexandrum M. Aelian. *V. H.* V, 12. Sed non impune. Porro etsi hi duodecim soli dicti esse videantur ὀλύμπιοι, (v. Kuhn *ad Aelian V. H.* V, 12.) Bacchus tamen et Hercules etiam ita dicti, teste Diodoro Sic. IV. p. 223.

b) Nescio, an Graeci eos vocent Θεὺς μεγάλυς, praeter ignotum illum poetam, cuius hi sunt versus:

Δώδεκά εἰσι θεοὶ μεγάλοι, Ζεὺς, Ἥρα, Ποσειδῶν,
Δημήτηρ, Ἑρμῆς, Ἑστία, Κυλλοπόδης,
Φοῖβος, Ἐνυάλιος τ' Ἄρης, Παλλὰς τ' Ἀφροδίτη,
Ἄρτεμις, εἰσὶ θεοὶ δώδεκα οἱ μεγάλοι.

v. Kuhnius ad Pausan. Messen. c. 1. p. 281. Simpliciter graeci vocant τὺς δώδεκα Θεύς. v. Aristoph. *Au.* 95. Diodor. Sic. XVI. p. 482. prope fin. Apollodor. III, 13. §. 1. Aelian. *V. H. VIII,* 12. Pausan. *Attic.* c. 40. p. 96.

Δώδεκα ἄνακτες sunt Pindaro *Ol. od.* X. Nomen μεγάλων Θεῶν etiam aliis Diis cessit, qui non sunt ex duodecim. v. c. Dioscuris Pausan. *Arcad.* c. 21. Proserpinae. Idem Pausan. *Arcad.* c. 31. v. d'Arnaud *de Diis παρέδροις.* c. XXII.

c. XXII. et Elſnerus *ad Act. XIX*, 27. Ouidius *VI. Met.* v. 27. vocat *bis ſex coeleſtes.* Ad hunc duodenarium Deorum numerum reſpicit Plaut. *Epidic.* V, 1. Sueton. *Aug.* c. 70.

Magnorum Deorum ſaepe mentio etiam apud Scriptores latinos. Virg. *Aen. III*, 12. Catull. *carm.* 14. Petron. c. 140.

c) Nomina haec duodecim Deorum leguntur apud Schol. Apollonii Rhodii l. II. p. 158. Comprehenduntur ea duobus diſtichis graecis, paullo ante adductis, quae apud Feithium *Antiqu. Homer.* I, 1. §. 4. qui eos veteri poetae adſcribit, leguntur. Ennius ea in duos latinos Hexametros coarctauit apud Apulei. *de Deo Socrat.* et apud Martian. Capellam p. 15.

VI. Hoſce XII. Deos ſumma veneratione proſequuti ſunt Athenienſes, eorumque ſimulacra in porticu Ceramici depicta habebant a). Ara etiam illis fuit poſita, quae dicebatur *βωμὸς τῶν δώδεκα Θεῶν* b).

a) Pauſan. *Attic.* c. 3. qui et c. 40. tradit, in templo quodam Megarae fuiſſe XII. Deorum ſigna.

b) Thucyd. VI, 54.

VII. Pro variis officiis, quae ſingulis adſignata ſunt Diis, varia ipſis tributa ſunt epitheta a), quae intelligere erit vtile iis, qui auctores graecos, praeſertim poetas, legere aggrediuntur.

a) De multitudine hac epithetorum diuinorum ſeu de *πολυωνυμίᾳ*, tanquam praecipua Deorum gentilium praerogatiua, deque cauſis illius vid. Spanhem. *ad Callim. h. in Dian.* v. 7. p. 119. Conf. Ariſtotel *de Mundo* c. 7. et Lucian. *in Timone* ab init.

VIII. Inter officia illa et munia Diis adſignata, coelum attributum eſt Ioui a). Vnde is credebatur regere tempeſtates b). Quapropter nominatus

minatus eſt ὄμβριος, Ὑέτιος c), Ἀστεροπητὴς, Ἀστραπαῖος, Καταιβάτης d), Βρονταῖος e). Praeterea a totius vitae humanae regimine ipſi adſignato f) aliis nominibus appellatus, vt Ξένιος g), Ἐφέστιος h), Ἑταιρεῖος i), Φίλιος k), Ὅρκιος l), Ἱκέσιος m), Ὁμόγνιος n), Βασιλεὺς o), Σκηπτοῦχος p).

a) Homer. Ιλ. ο. v. 192. Callim. *h. in Iou.* v. 59.

b) Athenaeus XV, 5. Phurnutus c. 9.

c) Iupiter ὄμβριος, ὑέτιος, ὕων, ἰκμαῖος, eſt latine *Iupiter pluuius*, *Imbricitor*, et *Vuidus*. v. Lycophr. v. 160. Apollon. Rhod. II. v. 524. Plura de hoc epitheto Broukhuſ. *ad Tibull.* I, 8. v. 26. Burmannus *in Ioue Fulgeratore* c. V. p. 264.

d) Ἀστεροπητὴς Heſiod. Θ. 390. Ἀστραπαῖος Ariſtot. *de mundo* c. 7. Καταιβάτης Ariſtoph. Εἰρ. v. 42. eſt *Iupiter Fulgerator*, de quo plura Burmannus in diſſ. laudata *de Ioue Fulgeratore.*

e) Iupiter Βρονταῖος, Ariſt. *de Mundo* c. 7. Ἐρίγδουπος Heſiod. Θ. 41. eſt *Iupiter tonans.*

f) Ariſtot. *de Mundo* c. 7. Phurnut. c. 2. Sen. *Qu. Nat. II*, 45.

g) Ξένιος Ariſtot. *de Mundo* c. 7. eſt *Iupiter hoſpitalis* qui iura dat hoſpitibus Virg. *Aen. I*, 735.

h) Ἐφέστιος vel Ἐπίστιος eſt *Iupiter foci praeſes*, propugnatorque eorum, qui ſunt eiusdem tecti et laris. Herodot. I. p. 18.

i) Ἑταιρεῖος *Sodalitius, Sodalitii praeſes*, ὁ ἔφορος τῆς ἐν τῇ ἑταιρίᾳ κοινωνίας, vt Euſtathius explicat ad Ὀδ. X. p. 790. l. 18. Athen. XIII, 4.

k) Φίλιος, *amicitiae praeſes* Lucian. *Timon. init.* Ariſtot. *de Mundo* c. 7.

l) Ὅρκιος, *Iurisiurandi arbiter.* Pauſan. *I. Eliac.* c. 44. p. 441. Lucian. *Timon.* ab init.

m) Ἱκέσιος, Ἱκετήσιος, *Supplicum propugnator.* Homer. Odyſſ. N. 213.

De hoc quaedam collegimus in *diſſertatione*, quae inſcribitur Ζεὺς Ἱκετήσιος, Lipſ. 1738.

n) Ὁμόγνιος

n) ὁμόγνιος, *Gentilitius* Iupiter dicitur διὰ τὴν τῦ γένυς κοινωνίαν θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις, ob generis communionem inter Deos pariter et homines, vt ait Dio Chryfoſt. *Orat.* I. p. 8. conf. Ariſtoph. Βατρ. v. 762. Ariſtot. *de Mundo* c. VII.

o) βασιλεὺς, Ariſtoph. *Nub.* I. Xenoph. Ἀναβ. VI, 1. De cauſſa, cur Iupiter ita dictus, duplici v. Schol. Ariſtoph. ad l. c. et Dio Chryfoſt. *Orat.* I. Ἄναξ dicitur eodem ſenſu, immo ἄναξ βασιλεὺς: interdum ἄναξ ἀνάκτων. vid. Spanheim. *ad Callimach. h. in Iou.* v. 2. imo Ζεὺς τύραννος. Ariſtoph. *Nub.* 564.

p) Σκηπτῦχος, i. e. *Sceptriger.* De hoc epitheto v. Beger. *Theſaur. Brandenburg.* T. I. p. 80.

IX. Apollo a *beneficiis*, quae generi humano praeſtare credebatur, a) et a *ſcientiis* ſeu artibus potius, quarum ipſi tribuebatur inuentio b), nominatus eſt Ἀποτρόπαιος c), et Ἀλεξίκακος d), Ἀγυιεὺς, et Ἀγυιάτης e), Λοξίας f), Πύθιος g), Παιὰν h), Εὐλύρας i), Ἑκατηβόλος k), Ἑκάεργος l), Τοξοφόρος m).

a) De his beneficiis Diodor. Sic. l. V. p. 341.

b) De his Scientiis Schol. Hom. ad Ἰλ. α. v. 603.
Τέσσαρες τέχναι ἀνατίθενται τῷ Ἀπόλλωνι,
Μυσικὴ, τοξικὴ, ἰατρικὴ, μαντική.

c) ἀποτρόπαιος, *auerruncus, malorum depulſor*, ἀποσοβητὴς τῶν κακῶν, Ariſt. *Plut.* 359. Quod Epitheton et aliis Diis tributum. Pauſan. *Corinth.* c. XI.

d) Ἀλεξίκακος, *mala depellens.* Macrob. *Saturn. I,* 17.

e) Ἀγυιεὺς, et Ἀγυιάτης eſt *viarum praeſes, viis praepoſitus.* Ariſtoph. *Veſp.* 870. Horat. IV. od. 6. v. 28. Rationem nominis reddit Macrob. *Sat. I,* 9.

f) Λοξίας *Loxias, obliquus, flexuoſus.* Ariſtoph. *Plut.* 8. vbi duplicem nominis rationem reddit Schol. Tertiam pete ex Schol. Callim. *in Dian.* v. 204. Λοξοχρήσμων interpretatur Tzetz. *ad Lycophr.* v. 1467. conf. Phurnut. c. 32. Macrob. *Sat. I,* 17.

g) Πύθιος,

g) Πύθιος, Pythius, forte idem, qui Delphicus. Pytho et Delphi eadem vrbs. Pausan. *Phocic.* c. 6. conf. Aristoph. *Vesp.* 865. Phurnut. c. 32. Macrob. *Sat. I*, 17.

h) Παιὰν et Παιὼν *Paean* et *Paeon*, Aeschyl. *Agamemn.* 153. Aristoph. *Vesp.* 496. Rationem nominis pete ex Callim. *h. in Apoll.* v. 97. et Macrob *l. c.* Etiam latine ita vocatur Cic *Verr. IV*, 57. Gratius *Cyneg.* 426.

i) Ἐυλύρας, *qui bene lyra canit.* Aristoph. Θεσμοφ. 978.

k) Ἑκατηβόλος, Ἑκηβόλος, Ἑκάεργος, Ἑκατηβελέτης *longe iaculans* i. e. qui vim suam exercet in res longe dissitas, i. e. *Sol.* Hom. Ιλ. α. 370. 474. ἕκατος v. 385. v. Phurnut. c. 32. Heraclid. *Alleg. Homer.* p. 417. Macrob. I, 17.

l) Τοξοφόρος, vel τοξίας apud Hesych. i. e. τόξ' ὤμοισιν ἔχων, *arcus in humeris habens*, vt est apud Homer. Ιλ α. v. 45. τόξα, βέλη, κῆλα sunt radii solis. Itaque non differt a praecedenti epitheto. Ἡ τοξοφόρος est Diana apud Aristoph. Θεσμοφ. 979.

X. Neptunus Ἁλυκὸς a), Ἁλιμέδων b), Πόντιος c), Ἵππιος d), etc.

a) Ἁλυκὸς i. e. Θαλάσσιος, Ἐνάλιος. Aristoph. *Lysistr.* 404. qui vocatur et Πελαγαῖος. Pausan. *Achaic.* XXI.

b) Ἁλιμέδων, *mari imperans.* Aristoph. Θεσμοφ. v. 330.

c) Πόντιος, *marinus.* Aristoph. l. c.

d) Ἵππιος, *equestris.* Aristoph. *Nub.* 83. et Ἵππειος. Eurip. *Phoeniss.* 1701. ἱππηγέτης Lycophr. 767. De caussis denominationis Barnes. *ad Eurip. Rhes.* 187. Spanhem. *ad Aristoph. N.* 83. Pausan. *Achaic.* 21.

XI. Mars Βαθυπόλεμος a), Χάλκεος b), etc.

a) i. e. *valde bellicosus.* Pindar. *Pyth. Od.* II. v. 2.

b) i. e. *aereus* et χαλκοχίτων, *aerea tunica tectus.*

XII. Mercurius Ἐναγώνιος a), Στροφαῖος b), Ἐμπολαῖος c), Ἐριούνιος d), Δόλιος e), Ἡγεμόνιος f) etc.

a) Ἐναγώνιος, *agonum seu certaminum praeses.* Aristoph. *Plut.* 1162. vbi v. Spanhem.

b) Στροφαῖος, *ianuarum custodiae praefectus.* Aristoph. *Plut.* 1154. a cardine ianuae, qui graece στροφεύς.

c) Ἐμπολαῖος

c) Ἐμπολαῖος, *negotiator.* Ἐμπορίων ἐπιστάτης, *mercaturae praeses.* Ariſtoph. *Plut.* 1156. Phurn. c. 16.

d) Ἐριούνιος, *valde vtilis.* Hom. Ἰλ. ω. 360. Ariſtoph. *Ran.* 1175. μεγαλοφελὴς, ἀπὸ τοῦ ὀνεῖν. Phurnut. c. 16.

e) Δόλιος, *verſutus,* impoſturae et praeſtigiarum repertor. Ariſt. *Plut.* 1158. Callidus quicquid placuit iocoſo condere furto. Hor. I. *Od.* 12.

f) Ἡγεμόνιος, ὁδηγὸς, Ἐνόδιος, *dux viae et index.* Ariſtoph. *Plut.* 1160.

XIII. Vulcanus, κλυτοτέχνης a) κλυτόεργος b) Πανδαμάτωρ c).

a) κλυτοτέχνης, *inclytus artifex,* Homer. Ἰλ. α. 571.

b) κλυτόεργος, *celebris artifex,* Homer. Ἰλ. Θ. 345.

c) Πανδαμάτωρ, *omnia domans.*

Apud Lucian. *in Tim.* init. Κεραυνὸς dicitur πανδαμάτωρ. Apud Homerum eſt ὕπνος πανδαμάτωρ. Ἰλ. Ω. v. 5.

Apud Muſaeum v. 200. dicitur Ἔρως πανδαμάτωρ. In Anthol. l. VII. ep. 29. Χρυσὸς πανδαμάτωρ. item IV, 8. Hercules πανδαμάτωρ, et IV. p. 472. πανδαμάτωρ ἀΐδης.

XIV. Iuno Τελεία etc.

Τελεία eſt *nuptiarum praeſes,* cui curae ſunt τέλειοι γάμοι. Ariſtoph. Θεσμοφ. 982. quae et Γαμήλιος dicitur. v. Spanhem. *ad Callim. h. in Iou.* v. 57. Diod. Sic. V. p. 340.

XV. Minerua Ἐργάνη a), Εὑρεσίτεχνος b), Πολύβουλος c), πολύμητις d), Δαΐφρων e), Τριτογένεια f), Χρυσόλογχος g), Γλαυκῶπις h), πολῖτις i), πολιὰς k), πολιοῦχος l), Κληδοῦχος m), Ἐρυσίπτολις n).

a) Ἐργάνη i. e. *plurimarum artium inuentrix.* Aelian. *V. H. I.* 2. Diodor. I. V. p. 340. ita dictam eſſe ait διὰ τὸ εὑρεῖν πολλὰ τῶν φιλοτέχνων ἔργων.

b) Εὑρεσίτεχνος, *artium inuentrix.* Orpheus h. XXXI. v. 17.

c) Πολύβουλος, *conſultiſſima* Hom. Ἰλ. ε. v. 260.

d) Πολύμητις, *abundans conſilio et prudentia.* Homer. h. in Palladem v. 2.

e) Δαΐφρων

e) Δαίφρων eſt vel *ſapiens*, vel *bellicoſa*. De qua duplici ſignificatione v. Scherpezeel. *ad Hom.* Ιλ. β. v. 23. Ceterum et Mineruae et multis aliis apud Homerum tribuitur.

f) Τριτογένεια, Tritogenia Heſiod. Θεογ. v. 924. Etymon vide apud Phurnut. c. 20. et Schol. Ariſtoph. *ad* Νεφ. 985. Cleric. *ad Heſiod.* Θ. 895.

g) χρυσόλογχος, *auream lanceam geſtans*, Eurip. *in Ione* v. 9.

h) Γλαυκῶπις, *Caeſia* vel *Dea caeſiis oculis*. Homer Ιλ. α. v. 206. Gell. II, 26.

i) Πολῖτις vel Ionice Πολιῆτις, vel Dorice πολιᾶτις, eſt *Minerua ciuica* vel *vrbica* Pauſan. *Arcad.* c. 47.

k. l) πολιὰς et πολιοῦχος eſt *vrbana* h. e. vrbis Athenarum cuſtos et Patrona Ariſtoph. Nub. v. 602.

vid. Spanhem. *ad Callim. h. in Pall.* v. 53.

m) Κληδοῦχος, *Clauigera*, quaſi quae vrbis claues geſtat. Ariſtoph. Θ. 1153. cui claues vrbis i. e. imperium et praeſidium committuntur. *Claues* imperium notant et Ieſ. XXII, 22. Apoc. I, 18. v. Schwarzii diſſ. de Diis Clauigeris.

n) Ἐρυσίπτολις, *patrona vrbium*. Homer. hymn. I. in Pallad. v. 1. et h. II. v. 3.

XVI. Diana Εἰλείθυια a), Λοχεία b), Ἀγροτέρα c), Κυνηγέτις d), Θηρήτειρα e), Ἰοχέαιρα f), Τοξοφόρος g) etc.

a) Εἰλείθυια Ilithyia, eſt *Diana opifera*, *Iuno Lucina*, *Genitalis*, *Dolorum partus auxiliatrix* Callim. *h. in Iou.* v. 12. vid. Interpretes tam *ad h. l.* quam *ad h. in Dian.* v. 22. 23. et ad Horat. *Poema Secul.* v. 13 Phurnut. c. 13.

b) Λοχεία vel Λοχία *leuans partus*, *obſtetrix*. Artemid. II, 25. Plutarch. *Sympoſ* 3. v Spanhem. *ad Callim* p. 148.

c) Ἀγροτέρα *Siluicultrix*, *Venatrix*. Ariſtoph. *Equ.* 657. v. Lennep. ad Coluth. in animadu. p. 132 ſq.

d) Κυνηγέτις, κυνηγός, *Venatrix*. Ariſtoph. *Lyſ.* v. 1274.

e) Θηρήτειρα, *Venatrix*.

f) Ἰοχέαιρα, *Sagittis gaudens.* Homer. *h. in Apoll.* v. 15. Hesiod. Θ. 14.

g) Τοξοφόρος *Arcitenens.* Aristoph. Θ. 979.

XVII. Ceres Κουροτρόφος etc.

Κουροτρόφος, *nutrix puerorum, alma.* Hesych. θνητῶν θρέπτειρα προπάντων. Orpheus in h. 39, 7. Eadem quae terra. Hinc et terra κουροτρόφος Aristoph. Θ. 307. Pausan. Att. 22. Alios etiam Deos Deasque κουροτρόφους constituit Iupiter, v. Cleric. *ad Hes.* Θ. v. 450.

XVIII. Venus, Οὐρανία a), Ἑταίρα b), Ἡ ἐν Κήποις c), Πάνδημος d), Γενετυλλὶς e) etc.

a) Οὐρανία, *Coelestis*, quae honestos excitat amores. Pausanias *Phocic.* c. 16. et quos Kuhnius *ad h. l.* citat, quibus adde Meurs. *ad Lycophr.* v. 112.

b) Ἑταίρα, *Amica.* Athen. XIII, 4.

c) Ἡ ἐν Κήποις, *Venus in hortis, Hortensis.* Pausan. *Attic.* XIX.

d) Πάνδημος, *publica, Terrestris,* quae in libidinem impellere putabatur, *vulgaris, vulgiuaga, Popularis.* Pausan. *Boeot.* XVI. et l. VI, 25.

e) Γενετυλλίς, ἡ τῆς γενέσεως ἔφορος, *Dea generationis antistes.* Aristoph. Νεφ. v. 52. Lysistr. v. 2. De aliis Veneris epithetis Lennep. ad Coluth. p. 91. sq. Cur Ἀφροδίτη Venus dicta sit, Ouid. Met. IV, 538. Pluche dans Histoire du ciel T. I. p. 161. sq.

XIX. Vesta πατρῴα, etc. *Vesta patrima, Domestica,* Sophocl. *Electr.* 887.

XX. Habuerunt praeter hos etiam recentiores a), et qui ex hominibus in Deorum numerum relati sunt b), hi Ἥρωες, illi δαίμονες dicti.

a) Recentiores sunt δαίμονες i. e. *naturae inter diuinam et humanam mediae.* Plut. *de Oracul. Def* p. 415. Iamblich. *de Myster.* c. V. pag. 8. Quo pertinent Pluto, Pan, Satyri.

b) Heroes

b) Heroes Ἡμίθεοι dicuntur, qui partim Diis partim hominibus geniti sunt, quibusque virtus ad Superos iter post mortem fecit, vt non secus ac Dii ipsi inuocarentur et colerentur. Definitionem Herois pete a Luciano, *Dialog. Mort. III.* p. 267. edit. Graeu.

Huc pertinent Bacchus, Hercules, Castor, Pollux, Aesculapius, Achilles, Menelaus, Helena. Vltimus Heroum fuisse Cleomedes Astypalensis fertur. Pausan. *Eliac. poster.* c. IX. v. Lloydius.

XXI. Hos inspectores rerum humanarum a) et Interpretes ac Internuncios b) hominum apud Deos esse credebant.

a) Hesiod. Ἐργ. v. 122.

b) Plato *in Sympos.* p. 327. Max. Tyr. *diss.* 26. et 27.

XXII. Ad haec externos et peregrinos Deos adsciuere Athenienses a), atque aras iis extruebant b), sed hoc publico scito fiebat c) priuatim vero non licebat d).

a) Dii peregrini ξενικοὶ, Dii aliunde inuecti opponuntur Θεοῖς πατρῴοις, Diis patriis, in patria cultis. Tales autem ab Atheniensibus fuisse cultos, clare probat locus Hesychii in Θεοὶ ξενικοί. Eleos coluisse tales, testatur Pausan. *Eliac. prior.* c. 15.

b) Hieronym. *Comment. ad* Tit. 1.

c) Sc. si Dii peregrini iudicio senatus areopagitici fuissent approbati. Isocrates in *Areopagitico* p. 188. edit. Basil. a. 1558. Iustin. Martyr in παραινέσει πρὸς Ἕλληνας, p. 20. C. Harpocrasio in Ἐπιθέτους ἑορτάς.

d) Ideo in priuato homine, Paulo, Athenienses hoc ferre nolebant. Act. XVII, 18.

XXIII. Quin immo *ignotos Deos* colebant iidem a), atque aras iis extruebant, quae βωμοὶ ἀνώνυμοι dictae b).

a) Pausan. *Eliac.* l. c. 14. qui locus vulgo adfertur, agit de Diis ignotis Olympiae cultis, ideoque huc non

non pertinet. Rem probat Philoſtratus *in vita Apol- lon. VI*, 3.

conf. Wolfius *in Curis Philol. ad* Act. XVII, 23.

b) Diogen. Laert. I. §. 110.



CAP. III.

DE LOCIS SACRIS.

I. Diis hiſce cultum ſuum praeſtiterunt in locis ſacris, quae erant

1. τεμένη i. e. *agri ſeparati, Diisque conſecrati* [a]): licet latius vſurpata vox [b]).
2. ἄλση, *Luci* [c]).
3. ναοὶ vel ἱερὰ, *aedes ſacrae, templa* [d]).

a) τεμένη dicuntur quaſi τετμημένα, *loca reſecta.* Definitionem pete ex Paſaun. *Eliac. II.* c. 6.

b) Proprie quidem τεμένη ſunt quaelibet loca a profano vſu ſemota et Diis conſecrata, ſed quia huius generis etiam erant et Luci et Templa, τέμενος modo pro *luco*, modo pro *templo* ponitur. v. Perizon. *ad Aelian. VI*, 1.

c) De Lucis Spanhem. *ad Callim. h. in Dian.* v. 38. Eſchenbach. *diſſ. Acad. III.* quae eſt *de Gentilium conſecratis Lucis* p. 133. Feithii *Antiqu. Homer.* I, 3. §. 2. et nouiſſimum editorem in notis p. 6. 7.

d) ἱερὰ ſc. οἰκήματα, *aedificia ſacra*, ναοὶ ἀπὸ τοῦ ναίειν quaſi habitacula Deorum. Inde Homerus Θεῶν ἱεροὺς δόμους vocat *h. in Merc.* v. 251.

II. Ἱερὰ, *templa* extruendi morem ab Aegyptiis accepiſſe videntur Graeci [a]).

a) Herodot. II. p. 102.

III. Extruebantur ea in locis editioribus vrbium [a]), aut in montibus extra Vrbes [b]) ita, vt ſolem orientem foribus apertis excipere poſſent [c]).

a) Homeri

a) Homeri Ιλ. x. v. 170. Vitruu. I, 7. Hinc de adeuntibus templa vſurpantur verba ἀναβαίνειν, ἀνέρχεσθαι. e. g. Aelian. *V. H. III*, 37.

b) Pauſan. *Phocic.* c. 35. 37. 39. *Arcad.* 15. 23 *Corinth.* 36. *Lacon* 25. et 34. v. Freytagii *diſſ. de Sacris gentium in montibus.*

c) Lucian. de *Domo* T. II. p. 454. Clem. Alexandr. *Stromat. VII.*

IV. Locus templi ſecretior et ſanctior vocabatur ἄδυτον, *penetrale* a).

a) Deſcriptionem v. apud Polluc. *Onomaſt.* I, 1. 8. Iul. Caeſ. b. c. III, 105. *adyta* vocat *occulta et recondita templi, quo praeter ſacerdotes adire fas non eſt.*

V. Templa haec vel ſingulis Diis a), vel pluribus ſimul conſecrata erant, qui ſimul vnum templum habebant b), dictique σύνναοι c) et σύμβωμοι d).

a) e. g. Mineruae Chalcioeci templum Pauſan. *Lacon.* 17. Apollinis Delphinii, et Pythii aedes Pauſan. *Attic.* 19.

b) e. g. Vulcano et Mineruae commune templum fuit Athenis. Pauſan. *Att.* c. XIV. Auguſtin. *de C.D. XVIII*, 12. Huc pertinet *Pantheum* i. e. τὸ κοινὸν τῶν πάντων Θεῶν ἱερὸν, *commune omnium Deorum templum.* Pauſan. *Attic.* c. V. ſub. fin.

c) Strabo VII. prope finem pag. 227. Plutarch. *Sympoſ. IV*, 4. Latine *Contubernales* vocare poſſis ex Cic. *ad Attic.* XIII, 28.

d) Strab. XI. p. 352. v. G. d'Arnaud *de Diis* παρέδροις c. X. et XI. vbi oſtendit, etiam ὁμοβωμίους, παρέδρους, συνοίκους, ὁμονάους, ὁμοτοίχους, συνεστίους ἱερῶν dictos fuiſſe.

VI. Deorum nominibus appellata, vt Ἀρτεμίσιον, *templum Dianae* a); Ἡραῖον, *templum Iunonis* b), Ποσειδώνιον, *templum Neptuni* c); Θεσμοφόριον, *templum Cereris* d); Ἀνακτόρειον, *Caſtoris*

 et

et *Pollucis* [e]) etc. Inter ea illustrissimum fuit Ἀρτεμίσιον *Ephesi* [f]).

a) Vocatur ὁ νεὼς τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος, item ἱερὸν Ἀρτέμιδος. conf. Spanhem. *ad Callim. h. in Dianam* v. 35. Hoc porro nomine proprie simulacrum Dianae denotabatur, vt et apud Harpocrationem in hac voce. Vid. *ad Act. XIX*, 35.

b) Herod. IV. p. 289. IX. p. 607.

c) Pausan. *Phocic.* c. 28. p. 807. Ποσείδιον Pausan. *Achaic.* c. 27. p. 596.

d) Aristoph. Θεσμ. v. 285.

e) Ἀνάκειον vocat Lucian. *in Timone*. p. 79. Nam Dioscuri ἄνακες dicti. Caussam reddit Kuhn. *ad Pausan. Phocic.* c. 38. Vossius *de Or.* et *Progr. Idol.* I, 13. Ἀνάκτορα quaeuis templa. Aelian. *V. H.* XIII, 27.

f) Pausan. *Messen.* c. 31. Interpretes ad Act. XIX, 27. Liu. I, 45. Plin. XVI, 40. Solin 43. Philo Byzantius *de Septem orbis Miraculis*. Mirac. VI. qui illud Dianae templum septem orbis miraculis annumerat. Id quod et Anonymus facit περὶ Ἀπίςων c. 2. qui est in opusc. Galei. p. 85.

VII. Templa exornabant simulacris et donariis.

VIII. Simulacra erant imagines, quae Deos repraesentabant [a]), quaeque adorabantur et cultu diuino afficiebantur [b]).

a) Dicuntur ἀκάσματα Θεῶν. Pollux I, 1, 7.

b) Pausan. *Boeot.* c. 39. p. 790. 791. Itaque ipsa templa, signis veluti Numinibus, orbata deseruntur. Pausan. *Boeot.* XXXIII. p. 777. Contra hunc simulacrorum cultum inuehitur Lactant. II, 2, 2.

IX. Communi nomine ἀγάλματα dicta [a]).

a) Ἀγάλματα igitur sunt vel simulacra vel pictae tabulae, vel statuae, vt docebunt Lexicographi.

X. Ab

X. Ab Aegyptiis hunc ritum ſimulacra ponendi Diis hauſiſſe videntur [a]).

a) Primum Herodotus teſtatur II. p. 102. Aegyptios primos Diis ſimulacra ſtatuiſſe. Deinde Cecrops, qui Aegytius eſſe creditur, primus in Attica ſimulacrum collocaſſe fertur. Euſeb. *Praep. Eu.* X, 9.

XI. Antiquiſſimis Graecis erant absque forma [a]), rudes lapides [b]) ſiue ligna, pali, ſtipites, columnae [c]).

a) Clem. Alex. *in Protrept.* p. 29. 30. vocat tale ſimulacrum ξύλον ὀυκ ἐιργασμένον, *lignum non elaboratum:* mox vocat σανίδα i. e. *Tabulam.* Arnobius vocat *ſigna inertia.* *I.* p. 13.

b) Pauſan. *Achaic.* c. XXII. p. 579. Dio Chryſoſt. *Or. II.* vocat ἀσήμους λίθους. Huiusmodi lapides oleo vnctos Βαιτύλια dictos volunt. v. Eſchenbach. *de Vnctionibus Gentilium* p. 389. Occaſionem dediſſe denominationi videtur locus Geneſ. XXVIII, 18. 19.

c) Clem. Alex. *Strom. I.* p. 348. Euſeb. *Praep. Eu. I,* 9. p. 29. Pauſan. VIII, 17.

Pauſanias ſc. meminit lignorum, at columnarum Euſebius et Clemens.

XII. Sed procedente tempore politiora fingere coeperunt eadem, et ἀνθρωπόμορφα [a]), cuiusmodi ſimulacra βρέτη dicta [b]); et quidem primo pedibus contiguis et indiſtinctis [c]), deinde diſtinctis [d]). Situ etiam diuerſo, alia ſtantis [e]), alia iacentis [f]), alia ſedentis [g]) figura efficta.

a) Quia ſc. Dii ἀνθρωπόμορφοι, *humana forma praediti* putabantur, vt Herodot. I. p 62. Id Graecis exprobrat Iuſtin. Martyr. *Apol. II.* pro Chriſtianis. Rem probant etiam ſtatuae veterum Deorum Dearumque permultae, quae ſuperſunt.

b) Βρέτη dicta volunt Grammatici παρὰ τὸ βροτῷ ἐοικέναι, quod ſimilitudinem habeant hominis. Ariſtoph. Schol.

Schol. *ad Equ.* v. 31. Tzez. *ad Lycophr.* v. 948. Βρέτη dicuntur et δείκελα.

c) Diodor. Sic. IV. p. 276.

d) Diodor. Sic. *l. c.* Palaeph. περὶ ἀπίστων c XXII. Vnde discimus, Daedalum primum fecisse statuas διαβεβηκότας τὸν ἕνα πόδα, i. e. *cruribus pedibusque disiunctis, diuaricatis pedibus.*

e. f. g.) Signum Panis sedentis, Dianae stantis habes apud Pausan. *Corinth.* p. 134. Sedentis Iouis et cubantis Oceani simulacrum apud Gronou. *ad Melam III*, 1. ex Seguino. v. Pauf. *Achaic. XXI.* p. 577. De situ antiquo Deorum aut stantium aut sedentium, elegans est locus apud Euseb. Praep. Eu. III, 7. p. 98. ex Porphyrio. v. Plin. III, ep. 6. *Strabo* XIII, p. 413. v. Carpzou. in Exercit. ad Epist. ad Ebr. p. 354. D' Arnaud de Diis παρέδροις c. XII. p. 75.

XIII. Materia horum primis temporibus fuit *lignum* a) et *lapis* b); cuiusmodi simulacra ξόανα dicta c).

a) Pausan. *Arcadic.* XVII. p. 633. Plin. XXXIV, 7.

b) Pausan. *Corinth.* II, p. 114. Ἀφροδίτης ἄγαλμα λίθου.

c) Hesych. Ξόανα, κυρίως τὰ ἐκ ξύλων ἐξεσμένα ἢ λίθων.

XIV. Dein confici coepta ex *ferro, aere, ebore, argento, auro* a), quando inualuit apud Graecos luxuria b).

a) Lucian. *in Ioue Tragoedo* T. II. p. 132. Arnob. *adu. gentes* VI. p. 118. Exempla apud Pausaniam occurrunt passim.

b) Pausan. *Eliac. prior.* c. XII. p. 405.

XV. Simulacra quaedam *Symbolica* fuere et de *diuina natura* participare credita a), quae διοπετῆ et pro mysticis habita b), in intimis templi penetralibus recondita c), et sacerdotibus solis conspicua erant d).

a) Spanhem.

a) Spanhem. *ad Callim. h. in Pallad ad inscript.* p. 529. et ad v. 50. p. 586.

b) Spanhem. *l. c.* In sacris literis Act. XIX, 35. Dianae Ephesiae simulacrum dicitur διοπετές.

c) ἐν ἀποῤῥήτοις, ἐν ἀδύτοις, Pausan. *Corinth.* VII. p. 127. *Corinth.* II. p. 113.

d) Pausan. *Arcad.* XLVII. p. 696.

XVI. Nonnulla vestiebantur a), alia ad speculum etiam comebantur b).

a) E. gr. Pausan. *Attic.* XXIV. p. 98. producit ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, ὀρθὸν ἐν χιτῶνι ποδήρει, *signum Minervae in recto statu cum tunica talari.* Plutarch. *in Alcibiad.* p. 210. Petron. 102.

b) Spanhem. *ad Callim. h. in Pallad.* v. 21. pag. 547. et v. 31. p. 564.

XVII. In periculis et a supplicibus apprehendebantur, protensis ad ea manibus a).

a) Lycophr. v. 1135. vbi v. Meurs. Spanhem. *ad Callim.* p. 411.

XVIII. Polluta aut impuris manibus attrectata, solemni et stato die abluebantur a).

a) Eurip. *Iphig. in Taur.* v. 1041 Spanhem. *ad Callim.* p. 527. sq. In solemnitatem, qua Argiui Palladis simulacrum, stato anno, die, abluendum curabant, a virginibus λωτροχόοις hymnum composuit Callimachus, qui inscribitur: εἰς Λοῦτρα τῆς Παλλάδος.

XIX. Catenis aliquando reuincta illa Deorum simulacra, qui vrbium praesides et tutelares habebantur, in obsidionibus, ne vrbibus exirent ad hostes a).

a) De Apollinis simulacro a Tyriis obsessis catenis aureis reuincto. Diodor. Sic. XVIII. p. 520. Curt. IV, 3. §. 22. et ad h. l. Freinshemius. Spanhem. *ad Callim.* p. 573. conf. Ansaldus de Diis multarum gentium Romam euocatis. Brixiae 1743. c. III. p. 33. sq.

 Non-

XX. Nonnulla etiam festis diebus ingenti cum pompa, signisque laetitiae ex templi adytis educta, carpentis ἀπήναις a) dictis, per celebriora vrbis loca circumferebantur b).

a) Latini *tensas* vocant. v. Festus. Liu. V, 41. et alibi. Pausan. *Eliac. prior.* IX. p. 396.

b) Spanhem. *ad Callim. h. in Cer.* v. 121. p. 721.

XXI. Sed non tantum *simulacris*, verum etiam *donariis* ornabant templa.

Templi Delphici donaria enumerat Pausan. *Phoc.* c. IX.

XXII. Donaria erant munera, quae Diis offerebantur, consecrabantur a), ac suspendebantur b) in templis ad ornatum c), dicta ἀναθήματα d).

a) Iustinian. Imp. *Inst.* §. 8. *de rerum diuis.* Donaria sunt ea, quae ad ministeria Dei dedicata sunt.

b) Homer. Od. III, 274. Suspendebatur columnis, parietibus, tholis etc. v. Petr. Kunzii *sacra et profana Ἀναθημάτων historia.* § 14. p. 14. sq.

Graeci hac in re adhibent ἀνατιθέναι. Aristoph. *Plut.* 845. et ἐξαρτᾷν. Longus Pastoral. p. 27.

c) Hinc Hesych. Ἀνάθημα, κόσμημα. v. Luc XXI, 5. Herodian. I, 14. conf. Suicer. *Thesaur. Eccles.* T. I. p. 268. sq.

d) ab ἀνατιθέναι, suspendere et separare. Dicuntur et δῶρα, ἀφιερώματα, ἀνακείμενα, *ornamenta et donaria fanorum*, apud Macrob. χαριστήρια Phalarid. ep. 84. *munera* Iustin. XXIV, 6. §. 8. ἀναθήματα ab ἀνατιθέναι, *imponere* ducit Kypke ad Luc. XXI, 9. p. 316. et inde explicat prouerbium: ταῦτα ἐν Θεῶν γούνασι κεῖται.

XXIII. Faciebant hoc pietatis ergo et ad gratum animum testificandum a), quum a malo quopiam

piam essent liberati b), vel victoriam ab hostibus reportassent c).

a) Pausan. *Phoc.* IX. 818. Inde χαριστήρια dicta. l. c. a Phalaride *in ep.*

b) Schol. Aristoph. *ad Acharn.* v. 242. cum quo loco viri docti contulerunt 1. Sam. VI, 4. 5. conf. Callim. *in Dian.* 229. Horat. I. *Od.* 5. v. 13.

c) Nep. *Pausan.* c. 1. Homer. ιλ. l. X. v. 460. sq. ιλ. VII, v. 83. Huc quoque refertur 1. Sam. XXI. v. 9.

XXIV. Varii fuere generis sc. 1. coronae στέφανοι a), 2. vestes b), 3. vasa ferrea, aenea, argentea, aurea, in quibus praecipua erant τρίποδες c); 4. Arma et spolia ab hostibus capta d).


a) Lucian. *Hermot.* p. 533. seq. vbi agit de eo, quod quispiam furatus sit in aede sacra, siue sit phiala, siue scyphus, siue corona. Homer. ιλ. α. v. 39. Lucian. *de Sacrif.* T. I. p. 363. Pollux I, 1. 28. Plin. XVI, 4.

b) Homer. οδ. III, 274. ιλ. VI, 301. sq. Pausan. *Eliac. prior.* c. 16. p. 417. Pausan. *Phocic.* IX. vbi Nero palla Iunonem donat. Herod. I. p. 21. E. vbi Croesus vxoris monilia et zonas Delphos mittit.

c) Homer. *h. in Merc.* v. 179. sq. Pollux I, 1. 25. Scutum aureum datum Mineruae *Phocic.* VIII. p. 817. Aureus lebes. *Eliac. prior.* c. X. p. 398. Phiala aurea. *Eliac. prior.* ἀσπὶς ἐπίχαλκος. *Eliac. poster.* c. XIX. p. 498. etc.

d) Pausan. *Messen.* XXXII. p. 359. ἀρχαῖοι τρίποδες ἄπυροι. *Boeot.* c. X. p. 730. *Lacon.* XVIII. p. 254. vbi aenei tripodes. it. *Attic.* c. XX. p. 46. et *Phocic.* c. XIII. p. 830. vbi tripus aureus. Homer. *h. in Merc.* v. 179.

e) Hom. ιλ. X. 460. ιλ. VII, 83. 1. Sam. XXI, 9.





CAP. IV.

DE PERSONIS SACRIS.

I. Perſonae ſacrae erant homines, qui praefecti locis ſacris, lucis ac templis, curam gerebant, vt caerimoniae omnes rite peragerentur: in genere ſacerdotes, ἱερεῖς vocantur a). Hi in magna erant veneratione b).

a) Deſcriptionem dabit Plato *in Politico* ſeu *in dialog. de Regno*. Dicuntur etiam ἱερουργοὶ, θεουργοὶ, θῦται, poetice θυηπόλοι, θυτῆρες, ἱερομνήμονες, ἀρητῆρες, et generaliter ὑπηρέται Θεοῦ. v. Saubert. *de Sacrif.* c. 6.

b) Sc. ob Deorum commercia. Plutarch. *Quaeſt. Rom.* ſub fin. p. 291. Pauſan. *Ach.* XX. p. 573 XXVII. p. 595. vnde liquet, ad ſacerdotium generis dignatione clariſſimum quemque fuiſſe delectum. Itaque ſacri et inuiolati erant Pauſan. *Meſſen.* IX. p. 301.

II. Varii eorum fuere ordines in ciuitatibus maioribus a). Qui ceteris omnibus praeerat, et ſacratiſſima myſteria peragebat, dictus Ἀρχιερεύς b). Habuerunt ſacerdotes ſuos adminiſtros, qui a variis officiis varia acceperunt nomina c).

a) Ariſtot. VI. *Politic.* c. 8.

b) Ioſeph. *Antiqu. Iud.* XIV, 8.

c) e. g. ἱεροποιοὶ, qui ſacrificiis, aliisque cerimoniis operantur. Παράσιτοι, qui frumentum ſacrum colligunt. Pollux VI, 7, 35. Ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων, *quaeſtores ſacri* Ariſtot. *Polit.* VI, 8. Ναοφύλακες, *aedium ſacrarum curatores.* Ariſtot. l. c.

III. Ad ſacerdotale munus apud graecos non modo viri adhibebantur, ſed etiam feminae, quae *ἱέρειαι* dictae a). Eae vt plurimum erant virgines b), electae ex nobiliſſimis virginibus apud Athenienſes c).

a) Item

a) Item ἀρήτειραι. Adhibebantur autem tales in sacris Dearum, item Apollinis, Herculis et Bacchi. Pausan. *Boeot.* XXVII. p. 673. de Hercule. Pausan. *Lacon.* p. XX. 261. de Baccho. Schol. Aristoph. *ad Plut.* v. 9. de Apolline Pausan. *Corinth.* XXXIII. p. 189. de Neptuno. Bacchi sacerdotes feminae, Βάκχαι, Θυάδες, Μιμαλλόνες, Lycophr. Μαινάδες. Apollinis vero sacerdos femina Πυθιὰς, προφῆτις, φοιβάς.

b) Lege Athenis cautum fuisse, vt sacerdos femina virgo esset, probat Spanhem. *h. in Apoll.* v. 110. p. 116. conf. *h. in Pallad.* v. 34. p. 566.

c) Spanhem. *ad Callim. h. in Cer.* v. 43. p. 691. sq.

IV. Sic sacerdotes feminae Mineruae a), Cereris b), Cybeles c), Veneris d), fuere virgines. Μέλισσαι dictae κατ᾽ ἐξοχὴν Cereris sacerdotes e) etiam aliae feminae sacerdotes f).

a) Pausan. *Arcad.* c. 47. p. 695. Sacerdos Mineruae apud Cilicas ὑπεκκαύστρια appellata. Plutarch. *Quaest. Gr.* p. 292.

b) Pausan. *Eliac. post.* c. XX. p. 502.

c) Κερνοφόροι, Rheae seu Cybeles sacerdotes apud Nicandr. *Alex.* p. 144. apud Spanhem. *ad Callim.* p. 116. v. Paus. *Arcad.* XXXVI. p. 673. de Rheae sacerdotibus feminis.

d) Pausan. *Corinth.* c. X. p. 134.

e) Spanhem. *ad Callim. h. in Apoll.* v. 110. p. 116. et *in Cerer.* v. 43. p. 692.

f) Spanhem. l. c.

V. Indicebatur ipsis perpetua castitas, vt semper virgines manerent a). Hinc subinde sacerdotes virgines eligebantur tantum ad nuptiarum tempus b).

a) Hoc testatur Marcellinus *in Hermog.* p. 65. apud Spanhem. *ad Callim. h. in Apoll.* v. 110. p. 116. conf. Pausan. *Boeot.* c. XXVII. p. 763.

b) Subinde

b) Subinde ad nubilem vſque aetatem tantum munus ſacrum virginibus committebatur. Pauſan. *Ach.* XIX. p. 570. et XXVI. p. 592. *Arcad.* c. XLVII. p. 695. *Corinth.* c. XXXIII. p. 189.

VI. Fuerunt etiam ſacerdotia, ad quae non admiſſae, niſi *vniuirae* a).

a) Spanhem. *ad Callim. h. in Pallad.* v. 34. p. 567. Pauſan. *Achaic.* XXV. ſub fin. p. 591.

VII. Sacerdotes feminae inſignia Numinis, cui inſeruiebant, gerere conſueuerunt a).

a) e g. Cereris ſacerdos manu tenebat manipulos ſpicarum; coronas et papauer. Callim. *hymn. in Cerer.* v. 45. Mineruae ſacerdos πανοπλίαν huius Deae induebatur apud Pallenenſes. Polyaen. VIII, 59. Sic Bacchantes thyrſo; Veneris ſacerdotes myrto; Cybeles nucibus pineis inſtructae erant.

VIII. Sorte eligebantur apud Atticos tam ἱερεῖς, quam ἱέρειαι a), et quidem ex nobiliſſimis b), et probatae vitae *ciuibus* aut *virginibus* c). Hoc κληροῦσθαι graece dicitur d).

a) Plato *de Legg.* VI. Ariſtot. *Politic.* IV, 15.

b) Pauſan. *Ach.* XX. p. 573. XXVII. p. 595. Plato *l. c.*

c) Aeſchines *in Timarchum* p. 196. Demoſth. *aduerſ. Androtionem* ſ. fin. Vt de vitae ratione conſtare poſſet, δοκιμασία *exploratio* inſtituta erat. Plato *de Legg. VI.*

d) Aeſchines *in Timarchum.* p. 196. B. Ita electi κληρωτοὶ, *ſorte deſignati* dicebantur et opponebantur αἱρετοῖς, *electione conſtitutis* ſeu ἐψηφισμένοις, *populi ſuffragio electis.* Ab vtroque genere diſcernendi ſunt οἱ ἐκ γένους h. e. *haereditatis iure* ſacerdotium obeuntes.

IX. Integri, non mutili corpore debebant eſſe a).

a) Debebant eſſe ὁλόκληροι et ἀφελεῖς. Heſych. in ἀφελής. Athen. VII. p. 300. conf. Spanh. *ad Callim. h. in Pallad.* v. 121. p. 621.

X. Mundos

X. Mundos se seruare, et ab omni impuritate cauere sibi debebant a).

a) Aeschines *in Timarchum* p. 196. 173. Demosth. *adu. Androtionem* sub fin. Plato *de Legg.* Pausan. *Achaic.* XXV.

XI. Quum sacris operabantur, amicti erant vestibus puris ex bysso, vel lino a). Coronis etiam redimiti b).

a) v. Io. Spencer *de Legg. Hebr. ritualibus* p. 682. sq. in peculiari dissert. *de veste sacerdotum linea.* conf. Broukhus. *ad Tibull.* I, 3. v. 30. p. 61. sq.

b) Herod. II. c. 36. Athen. I. p. 21. Aristoph. *Equ.* v. 222. Tertullian. *de corona mil.* c. 10. Lucian. *in Pseudom.* T. I. p. 782. Carol. Paschalius *de Coronis* IV, 13.

XII. Quaedam sacerdotia fuerunt haereditaria a) vt penes certas familias maneret munus procurandi patriorum Numinum sacra. Sic apud Athenienses erant Εὐμολπίδαι b) et Κήρυκες c) praeterea Εὐπατρίδαι d), et Ἐτεοβουτάδαι e). Apud Argiuos Ἀκεστορίδαι f). Hinc sacerdotia aliquando Gentilia euaserunt.

a) Plato *de Legg.* VI. Hermogenes *in Partitionibus* c. VI.

b) Pausan. *Attic.* c. 38. p. 92. Nepos *in Alcib.* c. 4.

c) Pausan. *Attic.* c. XXXVIII. p. 92. Harpocrat. in Κήρυκες. Hesych. in eadem voce. conf. Hadr. Iunii *Animadu.* V, 20. p. 315. sq.

d) Plutarch. *in Theseo.* p. 11.

e) Harpocrat. in Ἐτεοβουτάδαι.

f) Callim. *h. in lauacr. Pallad.* v. 33. vbi v. Spanhem.



CAP. V.

DE CVLTV SACRO, DE PRECIBVS, ETC.

I. Ea, quae in locis ſacris religioſe peragebantur, potiſſimum erant: *Preces*, *Sacrificia*, *Luſtrationes*.

II. Preces, gr. εὐχαὶ, vel προσευχαὶ dictae et δεήσεις a) erant, quibus vel bona precabantur a Diis, vel mala deprecabantur b).

a) adde εὔγματα, ἱκεσίαι, ἱκετεῖαι, πρόσοδοι, αἰτήματα, λιταὶ etc.

b) Plato *in Alcibiade II.* duos verſus adfert ex veteri poeta, qui id probant:
Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ, καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπάλεξε.

III. Quod ad ritum adorandi Deos attinet, in adorando:

1. Manum ori admouebant a), dein eam protendebant verſus Deum, quem adorabant b), quod proprie verbo προσκυνεῖν dicunt Graeci c), *adorare* Latini d).

a) Lucian. *de Saltat.* T. I. p. 792. Encom. Demoſth. T. I. p. 707. *de Sacrif.* 368. conf. Iob. XXXI, 26. ſq. De ritu manum ori admouendi v. Morin. *in Hiſtor. elegant. liter. Acad. Pariſ.* Tom. II. n. XIV. p. 89. conf. Plin. XXIII, 2. Adde Matth. Brouerium de Niedeck in diſſ. *de populorum veterum ac recentiorum adorationibus.* Amſtel. 1713.

b) Deos ſuperos adorantes ad coelum extenſis manibus orabant. Homer. ιλ. III, 318. Deos marinos implorantes verſus mare manus tendebant. Homer. ιλ. I, 350. Inferorum denique opem implorantes terram pulſabant. ιλ. IX, 464. Cic. *Tuſc. Qu. II.*

c) Euſtath. *ad* ὀδ. ε.

d) Broukhuſ.

d) Broukhuſ. *ad Tibull.* I, 4. v. 27. Viri docti *ad Minuc. Fel.* c. 2.

2. In orbem ſe circumagebant a) et ad ſolem orientem ſe conuertebant b).

a) Hunc morem Romanis tribuit Plutarch. *in Camillo* p. 131. F. traditque a Numa inſtitutum, *in Numa* p. 69. E. v. Plin. XXVIII, 2. Quem et Gallos obſeruaſſe ſcribit Plin. *ibid.* et ex Poſidonio Athenaeus IV, 13. p. 152. Veſtigia huius Romani moris habes apud Plaut. *Curcul.* I, 1. v. 70. Sueton. *Vitell.* c. 2. Qui mos in adorando ſe dextrouorſum vertendi ſaepius tamen a Latinis, quam Graecis videtur celebrari.

Interim veſtigia eius deprehendas et apud Ariſtoph. Pac. 957. vbi Trygaeus ad famulum:

Ἄγε δὴ τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα,
Περίιθι τὸν βωμὸν ταχέως ἐπὶ δεξιά.

Age cum caniſtro ſume aqualem trulleum
Aramque luſtrans dextrouorſum extemplo obi.

V. Dacierius ad Horat. III. Od. 26. v. 5. Dacieria ad Ariſtoph. Nub. p. 328.

Apulei. Mileſ. II. p. 39. Tunc orientem obuerſus et incrementa ſolis auguſti tacitus imprecatus &c v. Virgil. Aen. VIII, 68. Pacatus Panegyr. Diuinis rebus operantes in eam coeli plagam ora conuertimus, a qua lucis exordium eſt. Ad locum Virgilii Seruius: diſciplinam cerimoniarum ſecutus eſt, vt Orientem ſpectare diceret eum, qui precaturus erat. conf. Tertullian. Apolog. 16. Buleng. Eclog. ad Arnob. p. 56.

b) ἐπὶ δεξιὰ Plut. *in Camillo l. c.* ἐπὶ τὰ δεξιὰ στρεφόμενοι Athen. *l. c.* i. e. ad dextras mundi partes. Sed dextrae mundi partes ſunt ſol oriens. Hadr. Iunii *Animadu. III,* 3. p. 142.

3. Puras manus dextras ſimul et ſiniſtras ad Deos tollebant a) et coelum verſus tendebant b).

a) Homer. Οδ. II. 261. IV. 759. Heſiod. ἔργ. 724. Clem. Alex. *Strom. IV.* p. 531.

 b) Ariſtot.

b) Ariſtot. *de Mundo* c. 6. Vnde χεῖρας ἀνασχεῖν precantes dicuntur: Homer. ιλ. XXIV. 301. 306. III. 318. Eurip. *Helena* v. 1101. Lucian. *Philopatr.* T. II. p. 780. facta tamen inter Deos Superos et Inferos differentia. De qua paullo ante n. III.

4. Aliquando ſtantes a), aliquando flexis genibus b) precabantur, potiſſimum in grauioribus periculis c).

a) ὀρθοὶ Philoſtr. *in Apoll. VI*, 4. Colligi etiam poteſt ex Plut. *Numa*, loco paullo ante citato. conf. Marc. XI, 25.

b) Theophr. *Charact. Eth.* c. 17. Homer. ιλ. I. 440. conf. Marc. XV, 19.

c) v. Chriſt. Gottlieb Schwarzius *in Miſcellaneis politioris literaturae* Diatrib. I. pag. 76. ſq.



CAP. VI.

DE SACRIFICIIS.

I. Sacrificia, gr. θυσίαι dicuntur ac δῶρα a): et ea offerre, θύειν, προσφέρειν b), vel αναφέρειν θυσίας c), ποιεῖν d), poetis ῥέζειν, ἔρδειν e).

a) Eurip. *Medea* v. 964. Sic latine *dona*, *munera* Broukhuſ. *ad Tibull. IV*, 1. v. 8. Diſtinguuntur tamen etiam δῶρα et θυσίαι e. g. a Platone *de Votis* ſub fin.

b) Ebr. V, 3.

c) Ebr. VII, 27. XIII, 15. 1 Petr. II, 5.

d) Luc. II, 28. Aelian. *V. H.* IX, 15.

e) Homer. ιλ. α. 315. et 444.

Adde ἐπιτελεῖν ex Aelian. *V. H.* XII, 61.

II. Θύειν antiquiſſimis Graecis erat, *odoramenta accendere, ſuffire* a): et θύος ſignificat *odoramenta, odores*, qui Diis adolentur b). Vnde lat.

Thus

Thus c). Antiqui enim ignorabant cruenta ſacrificia, et huiusmodi ſuffitibus et odoramentis ſolis vtebantur d).

a) Porphyr. περὶ ἀποχῆς l. 2. §. 5. Ouid. *Faſt. I.* 343.

b) Plin. XIII, 16. Homer. οδ. ε. v. 60. Heſych. Plin. *XIII*, 1. Perizon. ad Aelian. V, 6. Callim. *h. in Apoll.* 38.

c) Videntur igitur Latini Etymologi male a *tundendo* deriuare.

d) Porphyr. περὶ ἀποχῆς *II.* p 127. conf. Ouid. *Faſt. I.* v. 337. ſqq. Pauſan. *Arcad.* c. 2. p. 690. Huiusmodi incruenta ſacrificia dicuntur ἄπυρα ἱερά. Aeſchyl. *Agam.* 701.

III. Antiquiſſimi Athenienſes ex inſtituto Triptolemi, θεὲς καρποῖς ἀγάλλειν, *venerandos eſſe Deos frugibus* a), fruges ſolas obtulerunt Diis, aequum cenſentes, primitias Diis dare ex iis rebus, quas hominibus largirentur ad vitam vtiles, quales inprimis ſunt fruges b).

a) Porphyr. περὶ ἀποχῆς l. IV. p. 431.

b) Idem II. p. 127. v. Spanhem. *ad Callim. h in Del.* 283 p. 499. Diog. Laert. *in Pythag. VIII.* p. 494.

IV. Poſtea animalia mactare coeperunt, quae tunc ſolae θυσίαι dicta a). Erant fere *bos, ſus, ouis, caper, gallus* et *anſer* b).

a) Porphyr. περὶ ἀποχῆς l. II. p. 54. apud Potter. p. 235.

b) Suidas in voce Θύσον.

V. In iis praecipua et maxima victima erat *bos* a). Vnde βεθυτεῖν b).

a) Plin. VIII, 45. Virgil. II. *Georg.* 146.

b) Ariſtoph. *Plut.* v. 820. et ad h. l. Schol.

VI. Debebant animalia illa eſſe ἄρτια, et τέλεια, *integra* et *pura*, *optima*, non *clauda*, *mutila*, aut *morboſa* [a]).

a) Plutarch. *de Orac. def.* p. 437. Homer Ιλ. Ι. v. 66. Athen. *Dipnoſ. XV.* c. 5. p. 674. F. Pollux I, 1, 26.

VII. Eligebantur βόες ἄζυγες i. e. *boues iniuges*, et quidem *quinquennes* [a]); *pecudes* vero *bimae* [b]), quas Latini *bidentes* vocant [c]).

a) Hom. Ιλ. κ. v. 292. Ιλ. β. v. 403. Etiam *ſues quinquennes*. Hom. Οδ. *XIV*. v. 419.

b) Virg. *Aen.* VI, 39. et ibi Seruius.

c) Macrob. *Sat. VI*, 9. Gell. XVI, 6.

VIII. Aliquando plura animalia ſimul mactabant. Sic Athenienſibus erat ſacrificii genus, conſtans ex tribus diuerſi generis animalibus, *ſue*, *hirco*, et *ariete*, quod inde τριττὺς dicebatur [a]). Quin imo centum animalia ſimul aliquando mactabant, quod ſolemne ſacrificii genus inde Ἑκατόμβη dictum [b]).

a) τριττὺς, quaſi e victimis conſtans *tribus*. Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* 820. Suid. in hac voce.

b) Heſych. in Ἑκατόμβη. Euſtath. *ad* Ιλ. α. p. 49. Homer. Ιλ. α. v. 315. ſeq. Strabo *VIII.* p. 250. Iul. Capitol. *Balbin. II.* Homer. Οδ. γ. v. 5. ſqq. vbi ſacrificium hecatomba ipſa maius deſcribitur.

IX. Non autem ſine diſcrimine omnibus Diis quaelibet ex iis, quae recenſui, animalibus offerebantur, ſed ſuae cuique propriae deſtinatae erant victimae [a]). Sic Ioui *bos quinquennis* [b]), Neptuno *taurus niger, aries, & verres* [c]), Mineruae *iuuenca, et ouis* [d]), Diis inferis *ſterilis* et *nigra ouis* [e]), Aeſculapio *capra* et *gallus* [f]) &c.

a) Ari-

a) Ariſtotel. *Ethic. IX*, 2. V, 10. Plin. *H. N. VIII*, 45.

b) Homer. ιλ. β. v. 403.

c) Homer. οδ. λ. v. 129. 130.

d) Homer. οδ. δ. v. 764.

e) Homer. οδ. κ. v. 522. ſq. Senec. *Oedip.* 548.

f) Plato *in Phaedone* prope fin. De gallo Aeſculapio mactato v. Hauercamp. ad Tertullian. Apolog. 46. p. 380. Lactant. III, 20. §. 16. Coelius Rhodigin. XVI, 12.

Potterus ad Lycophr. v. 77. oſtendit, duplicem potiſſimum ob cauſam certa animalia in Deorum ſacrificiis fuiſſe adhibita: primum ſaepe animalia Diis inuiſa fuiſſe immolata, quod nulla magis ratione putarentur Dii placari poſſe, quam inimico ſanguine ſuper aras eorum fuſo: Deinde oblata etiam fuiſſe animalia Diis grata, et accepta: ſic Cereri Ceralia dona oblata, ſic Baccho vini primitias, ſic Veneri columbam.

Sacrificia vel publica fuiſſe vel priuata, Xenophon docet Memorab. I, 1. §. 2.



CAP. VII.

DE RITV SACRIFICANDI.

I. Quod ad ritum ſacrificandi animalia attinet, is fere ita ſe habebat. Victima στέμμασι, *ſertis* vel *coronis* ornabatur [a]), et cornua eius aliquando inaurabantur [b]).

a) Hinc στεφηφόρος βȣ̃ς, *coronata vacca.* Lycophr. v. 327. Act. XIV, 13. Lucian. *de Sacrif.* p. 368. Ariſtoph. *Nub.* 255. ſq. Ouid. *Met. XV.* 130. et quos Paſchalius citat *de Coronis IV*, 16.

b) Homer. οδ. γ. 384. et ſqq. Liu. XXV. 12. Broukhuſ. *ad Tibull.* 1. v. 15.

II. Ita ornata victima aqua pura adſpergebatur a), imo in aurem etiam illius infundebatur aqua b).

a) Dionyſ. Halicarn. *Archaeol. VII* p. 478.

b) Schol. Apoll. Rhod. ad I. v. 425. p. m. 30. vbi illam aquam πρόχυτην dictam tradit.

III. Tum mola ſalſa, quae gr. ὀλαὶ a) et ὀλοχύται b), imponebatur capiti eiusdem c).

a) Pauſ. Att. c. XXXVIII p. 93. Homer. οδ. γ. 441.

b) Homer ιλ. α. v 449. οδ. γ. 445

c) Seru. *ad Virgil. Aen. II*, 133. Dion. Halicarn. VII. p. 478. ſq.

IV. Pili e fronte victimae inter cornua euellebantur, et in ignem ſuper aram coniiciebantur a).

a) Dion. Hal. *Archaeol. VII.* p. 479. Homer. οδ. γ. 446. Kuſt. ad Ariſtoph. Au. v. 960. p. 193.

V. His rite peractis, precibusque fuſis a) fiebat mactatio ſc. victimae caput ſecuri percutiebatur a miniſtro ſacrorum b), tum iugulabatur cultro, qui gr. μάχαιρα c), et σφαγίς d).

a) Homer. ιλ. α. v. 450. Plin. XXVIII, 2.

b) Homer. οδ. γ. 449 ſq Dionyſ. Hal. *Archaeol. VII.* p. 478. Apollon. Rhod. *Argon. I.* 427.

c) Homer. *h. in Apoll.* 335. ſq. Pauſan. *Meſſen.* c. 17. p. 320.

d) Eurip. *Electr* 811.

VI, Sed in iugulandi modo erat diſcrimen inter victimam, quae Superis, quaeque Inferis Diis mactabatur: quae Superis, huius iugulum ſuperius vertebatur, caput retro flectebatur a); quae Inferis, eius pronum terramque ſpectans tenebatur caput b).

a) Id Homero eſt αὖ ἐρύειν ιλ. α. 459. vbi conf. Euſtath. et Schol. min. Orpheo id eſt ἀνακλίνειν κεφαλὴν εἰς αἰθέρα

αἰθέρα Argon. 311. Schol. Apollon. Rhod. l. 1. 587. Cuperus *Obs.* I, 12. notat, τραχηλίζειν esse *ceruicem sursum flectere*. Vnde quidam illustrant Hebr. IV, 13.

b) Schol. min. ad Hom. ιλ. α. 459.

VII. Sanguis caesae victimae excipiebatur vase, quod σφαγεῖον dictum a).

a) Schol. min. ad Homer. οδ. γ. 444. Ipse Homerus vocat eo loco ἄμνιον. Scribitur et σφάγιον et σφαγεῖον.

VIII. Caesa atque iugulata victima excoriabatur, et in partes dissecabatur a).

a) Homer. ιλ. α. 459. sq. οδ. *XIV.* 427.

IX. Inter dissecandum vero inspiciebantur exta, quae Gr. σπλάγχνα a), vnde σπλαγχνοσκοπία et σπλαγχνόσκοπος b), *extispicina* siue *haruspicina et extispex*, *haruspex*.

a) Eurip. *Electr.* v. 826. sqq.

b) Qui est ἀγαθὸς διαγνῶναι σπλάγχνα ἱερῶν, *exta inspiciendi peritus*. Pausan. *Attic.* c. XXXIV. p. 84. In *Eliac. poster.* c. *II.* p. 455. Idem meminit μαντικῆς ἐπὶ σπλάγχνων, *diuinationis ex visceribus*. In *Boeot.* c. XXXIX. p. 790. ἀνὴρ μάντις, ἐς τοῦ ἱερείου τὰ σπλάγχνα ἐνορῶν: *Auruspex hostiarum exta inspectans*. conf. Perizon. *ad Aelian.* *II*, 31. n. 7. Saubert. *de Sacrif.* c. XX. p. 504. sq.

X. Postquam dissecuissent victimam, coxae, gr. μηροὶ eximebantur, eaeque pinguedine inuoluebantur et operiebantur a).

a) Homer. ιλ. α. v. 459. sq.

XI. Hoc facto, partes crudae ex omnibus victimae membris abscindebantur, et coxis illis cremandis imponebantur; id Homero ὠμοθετεῖν a).

a) Homer. *l. c.* οδ. *XIV.* 427. οδ. γ. 456. sq.

XII. Ita paratae coxae farre confpergebantur a), et ponebantur in loco ad id deftinato, in ara b).

a) Homer. οδ. *XIV.* 429. Dionyf. Hal. *Archaeol. VII.* 478.

b) Dionyf. Hal. *l. c.*

XIII. Ara gr. βωμὸς dicitur. Non tamen omnibus Diis promifcue ftruebantur βωμοὶ, quae erant *arae excelfiores:* hae enim erant ἐπȣρανίων coeleftium Deorum a), fed ἐπιχθονίοις *humiliores* extruebantur, ἐσχάραι dictae b). Diis vero Inferis ὑποχθονίοις *fouea* effodiebatur, in quam effundebatur fanguis victimae caefae c).

a) Latinis altaria, qf. altae arae. conf. Berkelius *ad Steph.* in βωμόι. Ammonius v. βωμός. Seruius *ad Virg. Ecl V.* v. 66.

b) Harpocrat. *in* ἐσχάρα. De hac differentia vocum βωμὸς et ἐσχάρα v. Stoeber *ad Feith. Antiqu. Homer.* p. 19. Barnef. *ad Eurip. Heracl.* v. 128.

c) Fouea illa dicitur βόθρος, λάκκος. De re v. Homer. οδ. λ. 25. et 34. Ouid. *Met. VII.* 243. Olear. *ad Philoftr. vit. Apollon. IV.* 16. p. 152.

XIV. Aris autem impofitae adolebantur igne ex lignis aridis et fciffis a). Quoque magis extolleretur ignis, vinum in eum effundebatur b). Non tamen in omnibus facrificiis hoc fiebat. Erant enim quaedam θυσίαι νηφάλιοι c).

a) σχίζαις. Homer. ιλ. α. 462.

b) Hoc factum, et vt flamma magis excitaretur, et vt vinum effet pro libamine. Homer. *l. c.* et ιλ. λ. v. 774.

c) h. e. *fobria facrificia*, in quibus aqua libatur, ὑδρόσπονδα, vt vocat Porphyr. *de abftinent. II.* p. 156. conf. Plutarch. *de Sanitate tuenda* p. 132. Paufan. *Eliac. prior. XV.* p. 416.

XV. Hoc

XV. Hoc facto, reliquae partes victimae verubus figebantur, atque assabantur a): ex quibus post sacrificium cum amicis suis epulabantur b).

a) Homer. Ιλ. α. v. 465.

b) Homer. Ιλ. α. 466. Οδ. γ. v. 65. et ξ. v. 430. sq. Adde versus Alexidis, quos ex Athenaeo Casaubonus adducit *ad Theophr. Charact.* cap. *XXII.* περὶ ἀνελευθερίας. p. 400.

XVI. Antequam autem e conuiuio ad sua redirent, gratias agebant Diis, et linguam victimae in ignem sacrum coniiciebant a), idque in honorem Mercurii b).

a) Homer. Οδ. γ. 332. et 34.

b) Athen. *Dipnos.* l. c. *XIII.* et *XIV.* p. 16.



CAP. VIII.

DE LVSTRATIONIBVS.

I. Praeter sacrificia apud Graecos in vsu fuere *Lustrationes*. Quod Latini *lustrare* dicunt, Graeci καθαίρειν a) et ἁγνίζειν b). Vnde καθαρμοὶ et ἁγνισμοὶ *lustrationes* c).

a) e. g. Aristoph. *Vesp.* 118. Homer. Ιλ. π. 228.

b) e. g. Eurip. *Electr.* v. 793.

c) Adde καθαρισμοὶ, ἱλασμοὶ, τελεταὶ &c.

II. Adhibebant, vel antequam rem sacram essent aggressuri, vel post actiones, quibus pollutos se putabant.

III. Sic lustrabantur ante rem sacram 1) templa ingressuri a), 2) ante sacrificium b), 3) sacris initiandi c), 4) vota precesque facturi d). Hae prioris generis lustrationes.

a) Eurip. *Ion.* v. 94. ſq. Iuſtin. Martyr. *Apol. II.* pro *Chriſtian.* p. 94. 95.

b) Homer. ιλ. α. v. 449. Eurip. *Electr.* 791. Plaut. *Aulul. III,* 6, 43.

c) Clem. Alex. *Strom. V.* p. 582. VII. 714. Schol. ad Ariſtoph. Plut. v. 846. Arrian. in *Epict. III.* 21. Ariſtoph. *Pac.* 373.

d) Sophocl. *Oed. Col.* 460. Eurip. *Alceſt.* 157. Homer. ιλ. π. 230.

IV. Poſt actiones, quibus pollutos ſeſe credebant, luſtrabantur 1. poſt caedem commiſſam [a]): 2. poſt actum Venereum [b]): 3. Funere polluti [c]).

a) Schol. Sophocl. *ad Aiac. Flagellif.* v. 666. Homer. οδ. χ. v. 480. ſq. Aelian. *III,* 1. *IV,* 5. Pauſan. *Corinth.* c. 31. p. 185. Apollod. *III,* 12. §. 2.

b) Athenaeus XV. p. 681. Homer. οδ. Θ. v. 362. Pauſan. *Arcad. XXV.* p. 648.

c) Pollux *VIII.* 7. 65 ſq. Caſaub. *ad Theophr.* περὶ Δεισιδαιμ. p. 339. Kuſter. *ad Ariſtoph.* ἐκκλης. p. 1025.

V. Adhibebant autem in luſtrationibus 1) aquam [a]), 2) ignem [b]), 3) oua [c]) &c.

a) et quidem modo *fontanam.* Sophocl. *Oed. Col.* 460. modo *marinam.* Apollon. *Rhod. IV,* 670. modo *aquam ſale permixtam.* Theocrit. *Idyll. XXIV,* 44. &c.

b) ſiue *Sulphur,* quo in ignem coniecto fumum facerent. Homer. οδ. χ. v. 481. 493. Theocrit. *l. c.* Ouid. *Met. VII,* 261.

c) Lucian. *in Dial. mort.* T. I. p. 263. *in Cataplo,* p. 427. Ouid. *A. A. II,* 329.



CAP. IX.

DE ORACVLIS ET DIVINATIONIBVS GRAECORVM.

I. Partem cultus diuini etiam conſtituunt *Diuinationes* et *Oracula*. Oracula dicuntur reſponſa Deorum, quae Dii in dubiis et ancipitibus caſibus rogati edebant. Gr. χρησμοὶ, ἀπὸ τȣ͂ χρᾶν. Χρᾶν enim dicitur Deus, qui *reſponſa dat* a). Alio nomine λόγια dicuntur b), etiam μαντεύματα c), θεοπρόπια &c. d). Loca, in quibus edebantur, χρηστήρια e) et μαντεῖα f). Vates ſeu fatidici χρησμολόγοι g). Homines, qui conſulebant, χρᾶσθαι dicebantur h).

a) Ariſtoph. *Veſp.* 159 it. ἀναιρεῖν. Xen. *Memorab. I*, 3, 1. Celeberrima oracula enumerat Herodot. *I*. p. 19. χρησμὸς Ariſtoph *Plut.* 51.

b) Ariſtoph. *Equ.* 120.

c) Ariſtoph. *Veſp.* 161.

d) Homer. Ιλ. α. 85. Adde φῆμαι Xen. *Mem. I*, 1, 3. Etiam φροντιστήριον vocat oraculum Philoſtr. p. 802.

e) Heſych χρηστήριον, μαντεῖον. Plutarchi liber inſcribitur: περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, *cur Oracula defierint?*

f) Μαντεῖον Plut. *de Pythiae Orac.* p. 397. D.

g) χρησμολόγος Ariſtoph. *Au.* 961.

h) χρᾶσθαι Homer. Οδ. κ. 492. Homines ipſi, qui conſulunt, dicuntur θεοπρόποι et θεωροί. Pollux I, 1. 18. χρησμοφόροι Pauſan. *Meſſen. IX.* p. 301.

II. Oracula tanta in dignitate et aeſtimatione fuerunt, vt in magni momenti rebus, controuerſis, et dubiis ea conſulerent a), Deorumque reſponſa et ſacra haberent, ac veriſſima crederent

rent [b]). Imo ſi reip. forma inſtituenda eſſet [c]), ſi leges ferendae [d]), ſi bellum indicendum [e]), ſi pax ſancienda, prius conſulebantur oracula.

a) Xenophon. Ἀπομν. I, 1. §. 9.
b) Idem I, 1. §. 3. Cic. *de Diuin.* I, 19.
c) Dio Chryſoſt. *Or.* 32. quae eſt ad Alexandrinos. Plut. *Ageſil.* p. 597. C. Spartian. *in Peſcen. Nigro* c. XIII. Cic. *de Diu.* I, 1. v. Feith. *Antiqu. Hom.* p. 148.
d) Xenoph. *de Laced. rep.* Strabo XVI. p. 524. Cic. *de Diu.* I, 43.
e) Herodot. I, 46. ſq. Pauſan. *Boeot.* c. XIV. p. 738. *Meſſen.* XII. et IX.

III. Dignitatem oraculorum et reuerentiam non parum auxere dona et ſacrificia, quae offerri debebant a conſulentibus: hinc fere principes et opulenti viri oracula adire ſolebant [a]). Quibus et ipſis non licebat quouis tempore, ſed certis quibusdam et ſtatis diebus hoc facere [b]).

a) Plut. *de Orac. def.* p. 437. Herodot. I, 50. ſq. Iuſtin. XXIV, 6.
b) Plut. *Quaeſt. gr.* p. 292.

IV. Vtrum haec vero reſponſa a daemonibus fuerint profecta [a]), an merae fuerint artes et impoſturae ſacerdotum et ſacrificulorum [b]), de eo diſputatur. Totum hoc opus oraculorum fuiſſe callidorum hominum inuentum et commentum, et omnia ibi per fraudes eſſe peracta, vix credibile eſt: ſubfuiſſe tamen ſaepius fraudem et dolum hominum, pariter certiſſimum eſt.

a) ex Veteribus a Diis ipſis profecta cenſet Iamblich. *de myſter.* Sect. III. c. XI. p. 72. ſq. A geniis partim bonis, partim malis Heracleo apud Plut. *de Orac. def.*

def. p. 418. sq. Alii a terrae vi et exhalationibus caussisque naturalibus. Cic. *de Diuin.* I. c. 50. Plin. II, 93. Alii denique ab animabus humanis, corpore seiunctis apud Plut. *l. c.* p. 431.

Ex Patribus, ea Diabolo tribuunt: Tertullian. *de praescript. adu. haeret.* p. 122. edit. Bas. 1539. a quo non dissentiunt Minuc. Felix c. 26. Lactant. II, 14.

Ex Recentioribus his multi subscribunt, et quidem inter Pontificios P. Baltus in libro: *Reponse a l'histoire des Oracles &c.* inter Lutheranos G. Moebius *de Oraculorum Ethnicorum origine, propagatione et duratione.*

His se tam fortiter quam feliciter opposuere Anton van Dale de *Oraculis Ethn. vet.* et Bernh. Fontenelle in *Histoire des Oracles:* aliique plures, qui, quicquid et quantum est oraculorum, id totum ad sacerdotum fraudes referunt.

V. Inter Deos, qui oraculis et diuinationibus praeerant, praecipui erant Iupiter [a]) et Apollo [b]).

a) Nam quaecumque fiunt, fieri necessitate vel Fato i. e. Iouis voluntate et consilio credebantur. vid. Spanh. *ad Callim. h. in Del.* v. 122. p. 418. sq. Hinc Iupiter dicitur πανομφαῖος ab Homer. ιλ. θ. v. 250. i. e. omnis diuinationis autor et dator. Oraculorum inuentionem sibi tribuit Prometheus apud Aeschyl. *in Prom. vinct.* v. 476.

b) Cum Apolline Iupiter communicare ferebatur oracula. Aeschyl. *in fragm.* p. 640. Eumenid. v. 19. conf. Spanh. *ad Callim. h. in Iou.* v. 69. Broukhus. *ad Tibull.* III, 4. v. 47.

VI. Non omnibus in locis eodem modo edebantur oracula: nam alibi per interpretes [a]) responsa dabantur: alibi a Diis ipsis, siue viua voce [b]), siue per somnia [c]), siue per sortes [d]).

Sed

Sed de quibusdam oraculis maxime celebribus in ſpecie aliquid dicendum.

a) E. g. Delphica per Pythiam ſeu Phoebada. Pauſan. *Phoc.* c. IX.

b) Sic Delphis initio ipſam Tellurem reſponſa dediſſe tradit Pauſan. *l. c.*

c) Per ſomnia reſpondebat oraculum Amphiarai. Pauſan. *Attic.* c. XXXIV. ſ. fin. p. 84.

d) Pauſan. *Achaic.* c. XXV. 590. Cic. *Diu.* l. c.



CAP. X.

DE ORACVLO DODONAEO.

I. Oraculorum omnium antiquiſſimum fuit Dodonaeum [a]), ſic dictum a Dodona vrbe Chaoniae vel Moloſſidis, quae regio montana Epiri [b]): a quibusdam etiam Theſſaliae tribuitur [c]).

a) Herodot. II. p. 124.

b) Chaonia pro tota Epiro ponitur. v. Th. de Pinedo *ad Steph. in* v. χαονία; Forte, quia Chaones olim toti Epiro imperitarunt, Strabo VII. p. 224. Moloſſis autem fuit regio Epiri, in qua Dodona vrbs, Strabo *l.* c. Steph. Byz. *in* Δωδώνη. Sed Pauſanias *Attic.* c. 17. p. 40. Dodonam facit vrbem Theſprotidis: item Euſtath. *ad Dionyſ.* p. m. 229.

c) Dodonam Theſſaliae fuiſſe adſcriptam notat Luc. Holſten. *in not. & caſtig. ad Steph.* Spanh. *ad Callim. h. in Delum.* v. 284.

II. A Pelaſgis conditam tradunt Dodonam, fundatumque oraculum [a]).

a) Spanhem. *ad Callim, h. in Del.* v. 284. p. 496. ſq. Strab. VII. p. 226.

III. De nominis origine variae ſunt coniecturae: quidam a Dodanim filio Iauanis, quem volunt duxiſſe coloniam in illas Epiri partes a): alii a fluuio Dodone b): alii a columba Dodonaea, ſeu potius muliere eius nominis ex Phoenicia in Graeciam deducta c): alii aliunde d).

a) Voſſius *de Orig.* et *Progr. Idolol.* I, 7. p. 54.
b) Euſtath. *ad Dionyſ. Perieg.* v. 430.
c) Spanhem. *ad Callim. h. in Del.* v. 284. p. 497.
d) Aliam etymologiam habet Euſtath. *l. c.*

IV. Prope Dodonam erat quercetum Ioui ſacrum, antiqua religione venerabile a): quercus iſtas fabulantur fuiſſe vocales, et reſponſa Dei inde audiri b), ſcilicet, vnam quercum reliquis fuiſſe altiorem, in qua ſedentes duas columbas reſponſa conſulentibus dediſſe c).

a) Recentiores multum de hoc querceto, ſed Veteres fere meminerunt quercus δρυὸς: Homer. Οδ. XIV, 328. Δωδωνίδος φηγȣ͂ i. e. *Dodonaeae fagi* Apollon. Rhod. I, 526. et IV, 583. Ipſe Herodotus ait ſacerdotem feminam ἱδρύσασθαι ὑπὸ φηγῷ πεφυκυίῃ Διὸς ἱερὸν, *ſub fago enata conſtituiſſe Ioui ſacrum*, vel *fagum*, quae ibi erat, *conſecraſſe* II. p. 125. Lucian. *in Amor.* p. 896. meminit τῆς ἐν Δωδώνῃ φηγȣ͂. Zenodotus *apud Steph.* ἐν Δωδώνῃ πρῶτον φηγὸς ἐμαντεύετο, *Dodonae primum fagus oracula dedit.*

Poetae Latini partim de quercubus in numero multitudinis loquuntur, vt Ouid. *Amor. III*, 10, 9. partim de ſilua Dodones, vt Lucan. III, 441. partim de lucis Moloſſis, vt Stat. *Theb.* III. v. 475. et de Chaonio nemore, vt idem *Theb. VI*, 99.

b) Hoc colligitur ex Homer. Οδ. XIV, 328. et XIX, 297. Hinc Aeſchyl. *in Prometh.* v. 817. vocat τέρας ἄπιστον, τὰς προσηγόρȣς δρύας, *miraculum incredibile, quercus facundas.*

c) De

c) De duabus columbis v. Sophocl. *Trach.* 176. et de vero earum ſignificatu Schol. ad *h. l.*

V. Sed hae merae ſunt fabulae; Quis enim credat, arbores locutas, vel columbas loqui tunc voce humana potuiſſe magis, quam hoc tempore, aut vaticinandi facultate praeditas fuiſſe [a])?

a) Ita fere ratiocinatur Herodot. II. p. 126.

VI. Res ita ſe habet: primis temporibus fuerunt viri vates, qui futura praedicebant, ὑποφῆται dicti *poetae*, et ἀνιπτόποδες, (*illotis pedibus viuentes*) etiam Χαμαιεῦναι, (*humi decumbentes*) Ἑλλοὶ et Σελλοὶ, Τομάϱοι vel Τομȣ̃ϱοι [a]). Qui ad quaeſtiones propoſitas reſponſa daturi, conſcendebant quercum, atque ex ea reſponſa enunciabant [b]). Hinc fabula de *quercu fatidica* manauit.

a) Haec nomina omnia leguntur apud Strab. VII. p. 227. conf. Homer. ιλ. π. 233. v. Callim. *h. in Del.* 284. et 94. p. 401.

b) Initio viros fuiſſe, qui futura praedicerent, docet Strabo *l. c.*

VII. Sequenti tempore deſignarunt ad hoc miniſterium *aniculas feminas* [a]). Quia autem Theſſalorum lingua feminae vates vocantur πελειάδες [b]), qua voce etiam appellantur *columbae* [c]), fabula nata eſt de Columbis in quercu fatidicis [d]).

a) Strabo VII. p. 227.

b) Pauſan. *Phocic. XII.* p. 828. Voſſius *de orig.* et *Progr. Idol.* I, 7. p. 54.

c) Aelian. *V. H. I.* 15. ex Ariſtot. *H. A. V*, 13. Cur mulieres illae fatidicae columbae vocatae fuerint, aliter explicat Herodot. II. p. 125.

d) Dikinſon *Delph. Phoeniz.* c. IX.

VIII. Ora-

VIII. Oraculum hoc celebre reddiderunt *fons* et *aes*. Erat ibi fons, qui *facer* dictus a), extinguens faces ardentes, si in eum immergerentur, vt alii faciunt fontes: sed et accendens faces non ardentes, si procul admouerentur.

a) Pompon. Mela *II.* 3. l. 71.

b) Pompon. Mela *l. c.* et Plin. II, 103. Lucret. VI.

IX. Fuit illic etiam *aes* siue *lebes aereus*, vel *lebetes*, qui continuum sonum edebant, siue vento siue aliquo instrumento factum a). Vnde proverbium Χαλκεῖον Δωδωναῖον, *aes Dodonaeum*.

a) A Callim. *h. in Del.* 286. dicitur ἀσίγητος λέβης, *lebes non silens:* ab aliis λέβης Θεσπρώταιος vel Θεσπρώτιος, quem Clemens Alex. Theodoretus, et Eusebius diuersum faciunt ab aere Dodonaeo. A Callim. *in fragm.* apud Steph. Byz. l. c. ἠχαχαλκόν. De qua lectione vid. Bentlei. *ad fragm. Callim.* n. 306. p. 410. v. Spanh. *ad Callim. l. c.* Ceterum de hoc aerisono lebete maxime illustris locus est Stephani Byz. *in fragmentis*, in Δωδώνη p. 745. edit. Th. de Pinedo. conf. etiam Plin. XXXVI, 13. Suidas in Δωδωναῖον Χαλκεῖον. Seruius *ad Virgil. Aen. III*, 466. Philostr. *Icon. II.* p. 830. Alludunt ad id Iuuenal. VI, 440. Lucan. VI, 427.

b) Hoc prouerb. legitur apud Menandr. in *fragm.* p. 24 edit. Cleric. apud Callim. *in fragm. a Bentleio collectis CCCVI.* ex Steph. Byz. vsurpatur de iis, qui multa loquuntur v. Steph. Byz. *l. c.* Suidas *in* Δωδωναῖον Χαλκεῖον.

CAP. XI.

DE ORACVLO DELPHICO.

I. Delphicum oraculum cultu fuit clarissimum, religione excellens a), situm Delphis Phocidis vrbe b), vbi templum Apollinis Pythii, fama celebratissimum c), thesauris et donariis opulentissimum d). Locus, vbi oracula dabantur, Pythium dicebatur e): sacerdos, quae pronunciabat ea, Pythia f): et ludi in Apollinis honorem Pythii g).

a) Strabo IX. p. 288. Cic. *de Diu. I*, 19. Liu. XXXVII, 48. Iustin. XXIV, 6.

b) Strabo IX. p. 287.

c) Strabo *ibid.*

d) Homer. Ιλ. ι. v. 404. Strabo *l. c.* p. 288. Aelian. *V. H. VI*, 9. Pausan. *Phocic. IX.*

e) Sc. oraculum, vt graece apud Aristoph. *Equ.* 220. Πυθικὸν sc. μαντεῖον seu χρηστήριον.

f) Nepos I, 1. gr. Πυθία sc. ἱέρεια Pausan. *Corinth. XXVI.* p. 171. et passim alio nomine φοιβὰς Pollux. Phoebas Lucan. V, 128. quod nomen cessit ob vaticinandi virtutem etiam Cassandrae Ouid. *Trist. II*, 400. quae φοιβάστρια dicitur ab Lycophr. 1468.

g) Sc. *ludi*, vt graece πύθιοι sc. ἀγῶνες Pauf. *Corinth. XXXII.* p. 186. et πύθια sc. ἀγωνίσματα. Pauf. *Phocic. XXXVII.* p. 893. Ouid. I. *Met.* 446. sq.

II. Variae vocis *Pythii* redduntur origines, vel a *Pythone* serpente a), vel ἀπὸ τοῦ πυθέσθαι a *percontando* b), vel ἀπὸ τοῦ πύθεσθαι a *putrescendo* c); sed vera origo est Πυθώ, quae vrbis Delphorum nomen d).

a) Macrob. *Sat. I*, 17. cui etymol. fauet. Ouid. *Met. I*, 446. Hygin. *fab.* 140.

b) Strabo

b) Strabo IX. p. 289. Schol. Ariſtoph. ad Plut. v. 39

c) Siue ἀπὸ τοῦ πύθειν i. e. σήπειν, quod numquam ſine vi caloris efficitur, vt habet Macrob. *l. c.* vel quod in vrbe *Pytho* i. e. Delphis draconis ab Apolline interfecti corpus computruerit, vt habet Suidas *in* Πυθώ. Pauſan. *Phocic. VI,* p. 812. v. Caſaub. *ad Strab. IX.* p. 289. *in not. P.* 149.

d) Delphorum vrbs Πυθώ vocatur a Callim. *h. in Del.* v. 90. ad quem loc. conf. Spanhem. p. 383. etiam ab Heſiod. θ. 499. ab Homer. οδ. θ. 80. vbi vid. Schol. min. conf. Homer. *Catal. V.* 26. et Schol. Pauſan. *Phocic. VI.* v. Dikinſon *Delph. Phoeniz.* c. 1. et 2. vbi alia etymologia adfertur. Conf. Heinſ. *in Ariſtarch.* c. 1.

III. Antiquum hoc oraculum fuit, C circiter annis ante tempora belli Troiani floruit [a]). Principio Themis habuit hoc oraculum, a qua accepit id Apollo [b]).

a) Strabo huius oraculi antiquitatem l. IX. p. 287. probaturus prouocat ad Agamemnonem, quem Homerus ab eo tuliſſe reſponſum dicit, οδ. θ. 79. ſq. conf. Tzez. *ad Lycophr.* 208. Sed iam tempore Argonautarum fuiſſe patet ex Apollon. *Rhod. IV.* 536. ſq. Immo ſecundum fabulas oraculum Themidis, quod poſtea Apollinis factum eſt, iam Deucalionis aetate fuit. Ouid. *Met. I,* 367. ſq.

b) Pauſan. *Phoc. V.* p. 808. ſq. Cum quo diſſentire videntur Schol. minora ad κατα λ. 26. Munker. *ad Ouid. Met. I.* ad fabulae VII. argumentum. Scholiaſt. Pindar. in ὑποθέσει Πυθίων.

IV. Nonnulli tradiderunt, gregem caprarum originem dediſſe oraculo. Scilicet in monte Parnaſſo fuiſſe antrum profundum, ore anguſto, ad quod accedentes capras, miros continuo ſaltus ſonosque edidiſſe, id quod miratum capra-

rium, eo accessisse, et ipsum furore quasi correptum, et numine afflatum futura praedixisse: quare tandem huic antro tripodem superpositum, eoque loco templum exstructum [a]).

a) Diodor. Sic. XVI. c. 26. p. 427. Plutarch. *de orac. def.* p. 433. Pausan. *Phocic. VI.*

V. Hoc certum est, in adytis templi fuisse profundum terrae foramen, ex quo frigidus spiritus vi quadam in sublime expellebatur [a]).

a) Iustin. XXIV, 6. Strabo IX. p. 288. Longin. περὶ ὕψους c. XIII.

VI. Ori huius foraminis imminebat tripus, qui χρηστήριος [a]), et προφητικὸς dictus [b]).

a) i. e. *fatidicus* tripus. Eurip. *Ion.* 1320.

b) Scholiast. Pindari in ὑποθέσει Πυθίων. p. 157. Plura de tripode v. apud Barnes. *ad Eurip. Ion.* 463.

VII. Tripus autem non est originis hebraeae, vt voluit quidam vir doctus [a]), sed graecae [b]).

a) Is est Stephanus le Moyne in Var. Sacris p. 1010.

b) Vt patet ex verbis Diodor. Sic. XVI, 26. p. 428. et per se.

VIII. Huic tripodi superponebatur operculum, quod erat figura orbiculari et perforatum [a]), graece ὅλμος [b]).

a) Pollux X, 23, 81.

b) V. Schol. ad Aristoph. *Plut.* v. 9. et Spanhem. *ad Callim. h. in Delum.* 90. p. 389.

IX. Huic operculo insidebat vates, quae inde Ἐνολμίος dicta [a]) alias Pythia, quae subeuntem ex antro spiritum recipiebat, et furore repleta, capillos promittens, et spumam ex ore emittens [b]), responsa dabat.

(a Ἐγγασρί-

a) Ἐγγαστρίμυθος Pythia quoque dicitur a γάστρη vel γάστρα, qua voce idem, quod voce ὅλμος notatur. v. Lakem. p. 313. et p. 504.

b) Haec omnia leguntur apud Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* v. 39. Origen. *contra Celſ. VII.* non longe ab initio p. 343. ſq. v. Barth. ad Stat. Thebaid. I. 697.

X. Pythia primis temporibus erat virgo, poſtea quinquagenaria a).

a) Imo quinquagenaria maior. Vid. Diodor. Sic. XVI, 26. p. 428. qui cauſſam mutationis factae reddit.

XI. Celeberrima et prima omnium fuit Phemonoe, quae prima carmine heroico oracula pronunciaſſe fertur a).

a) Vtrumque teſtatur Pauſan. *Phocic. V.* p. 809.

XII. Vno tantum menſe hoc oraculum conſulere licitum erat, qui menſis Βύσιος, quaſi Πύσιος dictus nonnullis a *ſciſcitando.* Poſterioribus temporibus ſemel ſingulis menſibus dabantur oracula a).

a) Haec omnia tradit Plutarch. *Quaeſt. gr.* p. 292. E.

XIII. Qui oraculum hoc conſulebant, ingentia dona offerre debebant a). Vnde hoc templum omnium ditiſſimum et opulentiſſimum euaſit b). Vnde et prouerbium: χρήματα Ἀφήτορος, *Aphetoriae opes*, pro maximis diuitiis c).

a) Spanhem. *ad Callim. h. in Apoll.* 45. p. 75. An ingentia dona offerri debuerint, ſemperque oblata fuerint, dubium. Dona pro ſua quemque facultate obtuliſſe credibile eſt, parua pauperem Chremylum, apud Ariſtoph. *in Pluto*, magna Croeſum, apud Herodot. I. p. 20. ſqq. conf. Strabo IX, 289. De diuitiis templi Delphici v. Valeſ. in Hiſt. eleg. liter. Acad. Pariſ. T. II. n. 15. p. 93.

 b) Cic.

b) Cic. *de Diuin. I.* Iuſtin. XXIV, 6. Eurip. *Iphig. in Taur.* 1275. ibique Barneſ. Strabo l. c.

c) Prouerbium deſumtum ex Homero ιλ. 1, v. 404. ſq. De quo loco videndus et Strabo IX. p. 289. ſq. et Aelian. *V. H. VI*, 9. vbi conf. Perizonius.

XIV. Apollini ſacrificia offerre debebant [a]): ſacrorum curam habebant ibi quinque ὅσιοι i. e. *ſancti* dicti, qui προφήταις miniſtrabant, aliaque cum iis munia peragebant, eorumque antiſtes ὁσιωτὴρ [b]). Fuere etiam περιηγηταὶ *enarratores* [c]) et ab Apolline dictus Ἀφήτωρ ſacerdos.

a) Plutarch. *de oracul. defectu* p. 437.

b) Plutarch. *Quaeſt. gr.* p. 292.

c) qui eos, qui conſultum venerant, per fanum circumducerent, et quae ſpectatu digna erant, oſtenderent. Plutarch. *de Pythiae orac.* p. 397.

XV. Mos etiam erat, vt coronati incederent illi, qui oraculum conſulerent [a]).

a) Aeſchyl. χοηφ. v. 1035.
Aeſchyl. *Eumenid.* v. 40. ſq.
Liu. XXIII. 11. Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* 21.

XVI. Quaeſtiones ſuas plerumque ſcriptas [a]) et obſignatas [b]) tradebant.

a) Ariſtoph. Schol *ad Plut.* 39.

b) Obſignatas quaeſtiones propoſitas ab iis, qui oraculum Mopſi conſulebant, teſtatur Plutarch. *de Orac. def.* p. 134.

XVII. Reſponſa reddebantur lingua graeca [a]); et quidem carmine vt plurimum hexametro [b]), aliquando etiam iambico [c]).

a) Cic. *de Diu. II*, 56.

b) Schol. Eurip. *Oreſt.* 1094. Schol. Ariſtoph. *ad Nub.* 144. Pauſan. *Phocic. V.* p. 809.

c) Exempla

c) Exempla oraculorum Delphicorum iambico metro datorum habes apud Pauſan. *Meſſen. IX*, p. 301. et apud Schol. Ariſtoph. *ad Nub.* 144.

XVIII. Poſterioribus temporibus proſa vt plurimum, raro ligata oratione [a]).

a) Cic. *de Diu. II*, 56. Supereſt Plutarchi liber περὶ τῦ μὴ χρᾷν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν: *quare nunc Pythia oracula non reddat carmine*, qui legitur T. II. p. 394.

XIX. Obſcura et ambigua plerumque erant ea reſponſa, λοξὰ [a]); vnde Apollo Λοξίας [b]).

a) Cic. *de Diu. II*, 56. Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* 8. conf. Potter. *ad Lycophr.* 14.

b) Ariſtoph. *Plut.* 8. *Equ.* 1044. Schol. Eurip. *ad Oreſt.* 165.

XX. Vera habebantur [a]), vnde prouerbium τὰ ἐκ τρίποδος [b]).

a) Eurip. *Electr.* 399. Cic. *de Diu. I*, 19. Aeſchyl. Χοηφ. 557. et 901.

b) i. e. *ex tripode dicta* i. e. certiſſima.

Simile prouerbium a veritate oraculorum Delphicorum petitum v. apud Terent. *Andr. IV.* 2. 15. Cic. *ad Brut. epiſt.* 2. ſub fin.

XXI. Pecunia tamen corruptam fuiſſe Pythiam aliquando legimus.

Cic. *de Diu. II*, 57. Pauſan. *Lacon. IV.* p. 212. Nepos *Lyſandr.* c. III.

XXII. Ceſſauit tandem oraculum, ſed quando [a]), et qua de cauſſa, pro certo dici non poteſt [b]). Siluiſſe fertur ſub Nerone [c]), ſed poſtea rurſus reſponſa dedit, et quidem Iuliani Apoſtatae temporibus [d]).

a) Iam Ciceronis aetate nihil eo fuit contemtius. Cic *de Diu. II.* 57. Strabo ſua aetate oracula negligi ſcribit XVII. p. 559. Iuuenal. VI, 555. Delphis oracula ceſſant v. Lucan. V, 112. ſq. Plutarch. *de def. orac.*

orac. p. 411. E. F. Euſeb. *Praep. Euang.* l. V. p. 205. ſqq. v. Interpretes Iuuenalis ad l. c.

De quaeſtione, an a nato Chriſto obmutuerint oracula, v. Caſaub. *in Antibaronianis Exercit. I.* 12.

b) Vel quod homines minus creduli eſſe coeperunt, vt ait Cic. *de Diu. II*, 57 et Minuc. Fel. p. 26. vel quod Romani in Sibyllinis, aruſpicina, auſpiciis et ſeruationibus de coelo acquieſcerent, vt putat Strabo XVII. p. 559. vel quod reges timuere futura, et ſuperos vetuere loqui, vt canit Lucan. V, 112. Aliam cauſſam phyſicam adfert et ridet Cic. *de Diu. II*, 57. Varias itidemque phyſicas cauſſas comminiſcitur Plutarchus *de oraculorum defectu.* Multi incrementis Chriſtianiſmi adſcribunt.

c) At Neroni reſpondiſſe tradit Sueton. *in Nerone* c. 40. et Themiſtius *Orat. XIX.* Qui hoc tempore ſiluiſſe putant, tuentur ſe autoritate Lucani V, 113. et Iuuenalis *l. c.* Xiphilin. p. 523.

d) Theodoret. *Hiſt. Eccleſ. III*, 21. conf. Fontenelle *in Hiſtoria ethnic. oracul.* II, 2. ſqq.



CAP. XII.

DE ORACVLO TROPHONII.

I. Celebre hoc oraculum Trophonii fuit apud Lebadiam, vrbem Boeotiae [a]), prope quam vrbem fuit lucus, et ſupra illum lucum ſitum oraculum [b]).

a) Liu. XXV, 27. Schol. Ariſtoph. *ad Nub.* 508.

b) Pauſan *Boeot.* c. XXXIX. p. 791.

II. Dictum *Trophonii* a Trophonio Agamedis fratre [a]) qui Lebadiae domicilium ſibi ſubterraneum exſtruxit, ibique futura praedicere ſe poſſe iacti-

iactitauit: in eoque antro periit, et poſt mortem Deus habitus, oracula edidit [b]).

a) Pauſan. *Boeot.* c. *XXXVII.* p. 785.

b) Schol. Ariſtoph. *ad Nub.* 508. vbi haec omnia relata legis. A quo Scholiaſta diſcedit Pauſan. *Boeot.* c. *XXXVIII.* p. 786.

III. Inclaruit oraculum opera Saonis cuiusdam, de quo Pauſanias.

Boeot. c. XL. p. 793.

IV. Fuit eius ſedes in antro: vnde καταβάσιον dicebatur.

Suidas in Τροφώνιος.

V. Qui huc deſcenſurus eſſet, ritus quosdam prius obſeruare tenebatur, vt purus deſcenderet, ſacrificia quaedam peragere, oleo perungi, aqua cuiusdam fluuii lauari, tum toga lintea indutus, offasque mellitas manibus tenens deſcendebat in antrum per fauces anguſtas.

Haec omnia et plura leguntur apud Pauſan. *Boeot.* c. XXXIX. p. 789. ſqq. conf. Schol. Ariſtoph. *ad Nub.* 508. Lucian. *Dialog. Mort.* p. 267. Philoſtrat. *vita Apollon.* *VIII*, 19.

VI. In antro illo futura cognoſcebat alius ex viſis, alius ex auditis.

Pauſan *Boeot.* *XXXIX.* p. 791.

VII. Per easdem fauces reuertebantur ex antro, ſed pedibus antrorſum protenſis.

Pauſan. *l. c.*

VIII. Reuerſus ex antro, attonitus erat moeſtus et triſtis [a]). Vnde prouerbium: εἰς Τροφωνίου μεμάντευται [b]).

a) Pauſan. *l. c.* p. 792. et Schol. ad Ariſtoph. Nub. 508.

b) i. e. *Trophonii in antro vaticinatus est.* Adhibetur prouerbium de hominibus austeri et tristis ingenii: ἐπὶ τῶν ἀγελάστων καὶ συνωφρυωμένων, vt ait Schol. Aristoph. ad *l. c.*

IX. Sed a sacrificulis in solio collocabatur, quod Mnemosynes dictum, vbi percontabantur ab eo, quae vel audiuisset vel vidisset.

Pausan. *Boeot.* c. XXXIX. p. 792.

X. Tum a sociis reducebatur in cellam *Boni Genii*, et *Bonae Fortunae*, vbi paulatim resipiscebat, et pristina hilaritas ei redibat.

Pausan. *Boeot.* c. eod. sub fin. p. 792. conf. ad hoc caput Hemsterhus. *ad Lucian. Dial.* p. 63.



CAP. XIII.

DE ALIIS ORACVLIS GRAECIAE.

I. Praeter tria iam recensita celebre quoque fuit Amphiarai oraculum. Herodotus inter quinque praecipua Graeciae oracula, quae consuluit Croesus, numerat.

Herodot. I. p. 19. sq.

II. Fuit apud Oropios in Attica [a]); dictum Amphiarai, quia Amphiaraus, Oiclei filius [b]), homo magiae peritus [c]), et somniorum interpres [d]), post mortem diuinis honoribus cultus, templo ipsi exstructo [e]), ibi responsa dedit [f]).

a) Pausan. *Attic.* c. XXXIV. p. 83. de dissensu Liu. v. Kuhnius *ad Pausan. l. c.* De Amphiarao Barthius ad Stat. Theb. I. 399.

b) Homer. Οδ. ο. v. 243. Apollodor. III, 6. 2.

c) Μάντιν

c) Μάντιν vocat Diod. Sic. IV. 67. et Apollodor. l. c. aliique.
d) Pauſan. *Attic.* c. XXXIV. p. 84. Philoſtratus *Icon.* I, 27. p. 802.
e) Pauſan. *l. c.* p. 83.
f) Pauſan *l. c.* p. 84.

III. Reſponſa hic reddita per ſomnia.
Pauſan. *l. c.* p. 84. Philoſtrat. *Vita Apollon.* II, 37.

IV. Qui oraculum hoc conſulebant, puri etiam accedere debebant [a]), rem diuinam facere [b]), 24. horas ieiunare [c]), triduo a vino abſtinere [d]); dein Amphiarao arietem mactare, cuius in pelle dormientes reſponſa in ſomnis accipiebant [e]).

a) Pauſan. *Attic.* c. eod. ſub fin.
b) *ibid.*
c) Philoſtr. *vita Apollon.* II, 37. p. 90.
d) Philoſtr. *l. c.*
e) Pauſan. *l. c.*

V. Iuxta templum fuit fons Amphiarai dictus, ſacer habitus, cuius aquam ad profanum vſum adhibere nefas erat.
Pauſan. *l. c.* p. 84.

VI. Praeterea in Delo fuit Apollinis Delii oraculum [a]); in Mileſia Branchidarum [b]): et alia minora plura, quae omnia non recenſebimus [c]).

a) De hoc oraculo v. quos citat Spanhem. *ad Callim. h. in Del.* 90. p. 384.
b) v. Herodot. I. p. 19. et p. 72. Conon. Narrat. 33. p. 273 ſqq. Plin. V. 29. Mela I, 17. Iamblich. *de myſter.* III, 11. Strabo XIV. p. 436. 40. XVII. p. 560.

c) De

c) De oraculorum numero v. Fabricius *in Biblioth. gr. I,* 17. 4.

Omisit v. g. oraculum Colophonium, seu oraculum Apollinis Clarii, de quo Tacit. *Annal. II,* 54. Plin. II, 103. Iamblich. *de myster. III,* 11.



CAP. XIV.

DE DIVINATIONIBVS.

I. Postquam de *Oraculis* quaedam dixi, transeundum est ad alias *Diuinationes* [a]), quarum hae sunt praecipuae:

a) Gr. μαντικὴ diuinatio dicitur, de qua Iamblich. *de myster. III,* 1. sqq. ad quem v. Th. Gale p. 214. Definitionem diuinationis habet Cic. in de *Diuin. I,* 1. conf. Xenoph. Ἀπομνημ. I, 1. §. 3. Scriptores hac de arte v. apud Fabric. *Bibliogr. antiqu.* c. 12. p. 415. sq. Species diuinationis plurimas enumerat Iosephus *apud Galeum ad Iamblich. de myster.* p. 215.

II. Οἰωνιστικὴ, *Diuinatio ex auium cantu et volatu* [a]), in qua dextrae partes faustae, sinistrae infaustae habitae [b]). Hanc diuinationem qui profitebantur, οἰωνοσκόποι dicti sunt [c]).

a) Seu *ars auguralis,* v. Suid. in οἰωνιστικὴ, et de tota hac arte erudite multa differentem Spanhem. *ad Callim. h. in Pallad.* p. 618. sqq. Adde Iamblich. *de Myster. III,* 16. p. 80. Plutarch. *de solertia anim.* p. 975. Iamblich. *de Myster. III,* 15. definit per τέχνην τῆς θήρας τοῦ μέλλοντος δι' ὀρνίθων, *artem inquirendi futurum per aues.*

b) Cic. *de Diuin. II,* 39. Spanhem. *ad Callim. h. in Pallad.* 124. p. 635. Vt intelligas, quaenam sint dextrae, quae sinistrae partes, v. Homer. Ιλ. μ. v. 239.

c) Vid.

c) Vid. vet. Gloss. item θεοπρόποι οἰωνισαὶ Homer. Ιλ. ν. 70. οἰωνοπόλοι Ιλ. α. 69. Pausan. *Attic.* 34. dicuntur ἀγαθοὶ διαγνῶναι πτήσεις ὀρνίθων, *periti inspiciendi volatus auium.*

III. *Diuinatio ex somniis*, quam qui promittebant, ὀνειροπόλοι a) et ὀνειροσκόποι b) appellati.

a) Homer. Ιλ. α. 63. Pausan. *Attic.* 34. ἀγαθὸς ὀνείρατα ἐξηγήσασθαι et Eliac. prior. c. 23. ἐνυπνίων ἐξηγητής.

b) It. Ὀνειροκρίται Theocrit. *Idyll.* *XXI*, 33. et ὀνειροκριτικοί. Noti sunt libri Artemidori ὀνειροκριτικοί.

De origine diuinationis ex somniis, seu τῆς ὀνειροκριτικῆς Iustin. XXXVI, 2. et Aeschyl. *Prometh.* *V*, 484. Praestantiam huius artis ostendere vult Iamblich. *de Myster.* *III*, 2 p. 60. De somniorum variis speciebus Macrob. *Somn. Scip.* *I*, 3. De veracitate somniorum Broukhus. *ad Tibull.* *III*, 4. 7.

IV. Ἱερομαντεία a) siue ἱεροσκοπία b), *diuinatio per sacrificia*, siue per *inspectionem victimarum*, Romanis *extispicium* c). Quam qui profitebantur, ἱεροσκόποι dicti d).

a) Diod. Sic. I, 53. vocat Μαντικὴν ἐκ τῆς θυτικῆς. De re vide Aeschyl. *Prometh.* V, 492. sq.

b) Ἱεροσκοπεῖσθαι est apud Diod. Sic. I. 70.

c) Suet. *Ner.* 56. Cic. *de Diu.* *I*, 16 Dicitur ars haec et Haruspicina. Cic *de Diu.* *II*, 12. De diuinatione, quae ex inspectione extorum viscerumque futurorum scientiam promittit Maussac. ad Plutarch. de flum. p. 17. et de auctore huius artis, Prometheo ibid. p. 18.

d) Homerus vocat θυοσκόους Ιλ. ω. 221. Dion. Hal. II. p. 93. l. 5. Pausan. *Attic.* XXXIV. p 84. ἀγαθὸς διαγνῶναι σπλάγχνα ἱερῶν: *exta inspiciendi peritus.* v. Perizon. *ad Aelian. V. H.* *II*. 31. Eustath. *ad* Ιλ. ω. 221. v. Alex. ab Alex. V, 25. Interpretes *ad Minuc. Fel.* c. 27. v. Casaub. *ad Strab.* *XVI*. p. 524.

V. Huc

V. Huc pertinet *πυρομαντεία, diuinatio per ignem ſacrificiorum* a), *καπνομαντεία, per fumum* b), *οἰνομαντεία, per vinum &c.* c).

a) De re v. Aeſchyl. *Prometh. V*, 497. et Barneſ. *ad Eurip. Helen.* 752.

b) v. Gale ad *Iamblich. de Myſter. III*, 28. p. 248. ſq. Ouid. *Triſt. V.* El. 5. v. 26. Barth. *ad Stat. Theb. IV*, 412.

c) Euſtath. *ad* οδ. p. 1470. edit. Rom. Cleric. *ad Geneſ. XLIV*, 5.

VI. Erat etiam *Diuinatio per ſortes*, Κληρομαντεία a), quo pertinet Στιχομαντεία, *ars diuinandi per verſus* b), et ῥαβδομαντεία, *ars vaticinandi per virgas* c).

a) *Genus diuinationis, quum per teſſeras taloſque iactos diuina oracula petuntur.* Pauſan. *Achaic. XXV.* p. 590. deſcribit illud. Huc pertinent ſortes apud Suet. *in Tiber. XIV. Calig. LVII.* Cic. *de Diuin. II*, 41. Val. Max. I, 3. v. Schwarzii *diſſ. de ſortibus poeticis* §. 4.

b) v. Caſaub. *ad Spartian. Hadrian.* c. 2. Schwarzii *diſſ. de ſortibus poeticis.* Trotzius *ad Herm. Hug. de prima ſcribendi origine* p. 240.

c) Iamblich. *de Myſter. III*, 17. et Gale *ad h. l.* p. 238. Hermannus Hugo *de prima ſcribendi origine* c. XXVI. p. 238. ſq.

VII. Fuerunt et aliae diuinationes magicae, vt Νεκρομαντεία, *diuinatio per mortuos* a), quo pertinent Σκιομαντεία b) et ψυχομαντεία c).

a) Vox legitur apud Cic.. *Tuſc. I*, 16. Dicitur et νεκυομαντεία apud Heſych. Dicitur et ψυχαγωγία a Greg. Nazianz. *in Iulian. Orat. III.* Cuius diuinationis exemplum eſt apud Hom. οδ. λ. 24. ſq. qui liber inde Νεκυία dictus olim videtur, v. Aelian. *V. H. XIII*, 14. De re vide Brroukhuſ. *ad Tibull I*, 2. 45. ſq. p. 49. ſqq. Stat. *Theb. IV*, 413. et ibi Barthium. Philoſtrat.

loſtrat. *in Apollon. IV*, 15. Quaedam loca in Graecia, vbi animae euocabantur, dici ſolebant Νεκυομαντήια Herodot. V. p. 369. Pauſan. *Boeot.* c. XXX. p. 769. vel Νεκυομαντεῖα. Strabo XVI. p. 524. vel ψυχομαντεῖα v. Kuhn. *ad Pauſan.* c. XVII. p. 252. ſq. Vnde ψυχαγωγεῖν, animas mortuorum orco euocare, ad danda reſponſa quaerentibus. Ariſtoph. *Au.* 1554. et ψυχαγωγοὶ ſunt magi, qui id faciunt. Pauſan. *l. c.* et Eurip. *Alceſtid.* 1128. Suidas in ψυχαγωγεῖ.

b) Ita dictam vult diuinationem, quando mortui ſub forma aëria inſtar vmbrae euocati videbantur. Potter. II, 18.

c) Vox occurrit apud Cic. *de Diu. I*, 58. Sed Pſychomantia ſunt loca, vbi fiebat manium euocatio. conf. Tuſc. I, 48. Fabricius *Bibliogr. Antiqu.* p. 427 male intellexit locum de arte.

VIII. Ὑδρομαντεία *Diuinatio per aquas.* De hac Plin. XXXVII, 11. Pauſan. *Lacon. XXIII.* p. 270. Vnde Straboni l. XVI. p. 524. ὑδρομάντεις.

IX. Ὀρνιθομαντεία a), vel Ἀλεκτρυομαντεία, *Diuinatio per gallum gallinaceum.*

a) Ὄρνις ponitur pro ἀλεκτρυών. Ariſtoph. *Veſp.* 811.

De hac diuinatione Zonaras T. III. *Annal.* p. 28. conf. Herm. Hugo *de prima ſcribendi origine* c. 26. p. 239.

X. Κοσκινομαντεία, *Diuinatio per cribrum.* Theocrit. III, 31. Lucian. T. I. p. 753. in Pſeudon. Aelian. *Hiſt. Animal. VIII*, 5.

XI. Fuit etiam vaticinandi genus, *quo daemones putabantur loqui per hominum ventres, aut pectora.* Qui eo vtebantur, dicti ſunt Ἐγγαστρίμυθοι a) et Στερνομάντεις b), etiam Εὐρυκλεῖς c) et Πύθωνες d).

a) Plutarch. *de Oracul. defectu* p. 414. E.

b) Pol-

b) Pollux II, 4. 162. a Sophocle ita dictos tradit.

c) Ariſtoph. *Schol. ad Veſp.* 1014.

d) Plutarch. *l. c.* v. Spanhem. *ad Callim. h. in Del.* v. 90. p. 383. Dickinſon *Delph. Phoeniz* c 9. p. 91. ſq. et quos laudat Fabric. *Bibliogr. Antiqu.* c. 12. p. 420. ſq. Quibus adde Foeſium *in Oecanomia Hippocratis* p. 174.



CAP. XV.

DE OMINIBVS.

I. Omina erant varia. Alia capiebant ex ſe ipſis: alia ex rebus externis: alia ex verbis. Graece σύμβολα a).

a) Xenoph. Ἀπομνημ. I, 1. §. 3. Ariſtoph. *Au.* v. 722. Etiam οἰωνὸν vocat omen Plutarch. *in Aemilio Paullo* p. 473. κληδὼν eſt etiam omen. Ominandi ſcientia dicitur κληδονιστική. De re v. Pontanus *ad Macrob. Somn. Scip* I, 12. Barthius *ad Claudian. in Eutrop.* I, 125.

II. Quae *ex ſe ipſis* capiebant, erant 1. παλμοὶ, *Saliſationes*, vel *Palpitationes cordis vel oculorum* a) 2. βόμβος, *tinnitus aurium* b) 3. πταρμὸς, *ſternutamenta* &c. c).

a) Theocrit. *Idyll. III*, 37. et ibi Caſauboni lectiones. Plaut. *Pſeudol. I*, 1, 105. et *ad h. l.* Taubmannus. Suidas in παλμικὸν οἰώνισμα. Fertur Melampus quidam librum ſcripſiſſe, cui titulus: περὶ παλμῶν μαντικὴ πρὸς Πτολεμαῖον βασιλέα.

b) Vox in hoc ſignificatu deſumta videtur ex Ode Sapphus apud Longin. Sect 10. βομβεῦντ' ἐν δ' ἀκοαί μοι, *ſonitu ſuopte tinniunt aures*, vt Catull. vertit. Ariſtaenet. II, 13. Οὐκ ἐβόμβ· σοι τὰ ὦτα, ὅτε σοῦ μετὰ δακρύων ἐμνήμην. Virgil. *in C tal.* apud Scalig. *Auſon. lect.* I,

lect. I, 16. Plin. XVIII, 2. *tinnitum aurium* vocat. Celsus VI, 7. n. 8. *sonitum aurium.*

c) Theocrit. VII, 96. et Schol. *ad h. l.* Aristotel. *Problem.* sect XXXIII. §. 7. et II. Quae huc pertinent, diligenter collegit Ouzelius ad *Minuc. Fel. Octau.* c. 26. p. 268. sqq.

III. *Ex rebus* etiam *externis* capiebant omina, e. g. si splendor insolitus alicubi videretur [a]): si quid praeter morem accideret [b]): si partus monstrosus ederetur [c]: et si in via aliquid occurrisset, vt mustela &c. [d]).

a) Homer. ὀδ. τ. v. 36.
Liu. I, 39. et 41.

b) Pausan. *Messen.* XIII, p. 311.
Plutarch. in *Camillo* p. 132.
Diodor. Sic. XVII, 10. p. 494.

c) Id de Romanis probatu facile Iul. Obsequens *de Prodigiis* c. 96. Plin. VII, 16. Phaedr. III, 3. Broukhus. *ad Tibull.* II, 5. v. 80. De Graecis tamen id itidem probari potest ex Plutarch. *in Conuiuio septem Sapientum* p. 149. vbi de Thalete idem fere narratur, quod de Aesopo narrat Phaedrus III, 3.

d) Ἐνόδια σύμβολα dicta, quae occursu suo aliquid ominari credebantur. De mustela v. Theophrast. *Charact. Ethic.* c. 17. περὶ Δεισιδαιμονίας et Casaub. *ibid.* Plaut. *Stich.* III, 2, 7. Terent. *Phorm.* IV, 4. 26. Aristoph. *Concion.* v. 787. Horat. *Od.* III, 27.

IV. Omina *ex verbis* capiebant, quae prout fausta erant aut secus, pro bono malove habebantur omine [a]). Verba illa ὄτῖαι [b]), κληδόνες [c]), et φῆμαι [d]) dicuntur.

a) Exemplum boni ominis suppeditat Herodot. IX. 90. Plutarch *in Aemilio Paulo* p. 473. mali ominis Eurip. *Phoeniss.* 1500. et *Ion.* v. 1189. sqq.

b) Forte ὄσσαι, quo sensu vox ex Platone citatur. Hesych. Ὄσσα, κληδὼν, καὶ φήμη. Et ὀσσᾶσθαι, κληδονίσασθαι.

c) Pausan. *Boeot.* c. XI. p. 733.

d) Eurip. *Ion.* 99. Aristoph. *Vesp.* 860.

V. Verba malum ominantia, *κακαὶ ὄπται* a) et δυσφημίαι b) dicebantur.

a) Forte κακαὶ ὄσσαι i. e. *verba male ominata*, vel *nominata*, vt loquitur Horat. Od. III, 14. v. 11.

b) Item βλασφημίαι Eurip. *Ion.* v. 1189. cuiusmodi βλασφημίας vel δυσφημίας *in Hecuba* v. 182. eleganter vocat φροίμια κακὰ, *male prooemia*. Talia vocantur et δυσκληδόνιστα apud Suid. et δυσώνυμα. conf. Casaub. *ad Theophr. Charact. Eth.* c. 19. περὶ δυσχερείας.

CAP. XVI.

DE FESTIS GRAECORVM.

I. Ad sacra etiam pertinent *Festa*, et *Ludi*. Quare de iis hic breuiter etiam aliquid dicendum: et primo de *Festis*.

II. Instituta sunt *Festa* vel in honorem Deorum, vt Diis pro insignibus beneficiis agerent gratias, eorumque laudes concelebrarent a); vel in memoriam defunctorum, qui optime de patria meriti erant b).

a) Thesmophoria et Eleusinia v. c. in memoriam Cereris et Legiferae et Frugiferae instituta sunt. Diodor. Sic. V, 68. p. 336. vbi et alia huic rei probandae idonea. Cic. *de Legg. II*, 14. Macrob. *Saturn. III*, 12. De caussa institutorum festorum v. Plato de Legg. II. circa med. Athenaeus VIII, p. 363. D. c. 16. Strabo IX, 642.

b) Huius

b) Huius generis ſunt Θήσεια, de quibus Plutarch. *in Theſeo*, item Ἡράκλεια Ariſtoph. *Ran.* 664.

III. Antiquiſſimis temporibus pauca admodum habuere feſta. et vix alia, quam quae poſt meſſem et vindemiam a) celebrabantur.

a) Θαλύσια dicta Homer. Ιλ. ι. v. 530. vbi videnda Scholia. Ad quem locum Euſtathius notat, a Rhetoribus quibusdam Συγκομιστήρια vocari, v. Theocr. *Idyll. VII.* Ariſtot. *ad Nicom. VIII*, 11.

IV. Poſterioribus vero temporibus, aucto Deorum numero, etiam feſtorum auctus eſt numerus. Inprimis apud Athenienſes, qui plures quam ceteri populi Graeciae, colebant Deos.

Hoc probatum dedimus c. II. §. 3. Inde Xenophon *de reb. Athenienſ.* prope finem duobus locis teſtatur, Athenienſibus plura fuiſſe feſta, quam reliquis Graecis.

V. Feſta illa tranſigebant laetitia, voluptate et feſtiuitate.

v. Spanh. *ad Ariſtoph. Ran.* 392.
Macrob. *Sat. I*, 16.
Pauſan. *Meſſen.* c. 27. p. 344.
Plutarch. *Quaeſt. Rom.* p. 289. A.
Inde ὀφθαλμῶν πανήγυρις Aelian. *V. H.* III, 1. et ἑορτὴ ὄψεως XIII, 1. ponitur pro *oblectatione oculorum.*

VI. Pleraque publica impenſa celebrabantur. Xenoph. *de rep. Athenienſ.* ſub fin.

VII. Ex praecipuis (nam omnia non recenſebimus) erant:

Ἀδώνια.

In honorem Veneris et Adonidis a) per biduum agebantur, priore die ſigna luctus b), poſteriore laetitiae ſigna edebantur c).

a) Muſaeus *de Hero et Leandro* v. 43. Ariſtoph. Schol. *Pac.* 419.

b) Plutarch. *in Nicia* p. 532. B. conf. Macrob. *Sat. I*, 21.

c) v. Lucian. *de Dea Syria* p. 688. non longe ab initio. Qui locus de hoc festo palmarius est. Cyrillus, Hieronymus, aliique veteris Ecclesiae doctores hoc festum tangi putant Ezech. VIII, 14. v. Deylingii dissertatio *de Fletu super Thammuz*, quae Obseru. Sacr. Part. III. inserta est. v. Ant. Banier *Hist. du culte d'Adonis dans Memoires de l'Acad. de belles Lettres*. T. IV. p. 136

Ἀνθεστήρια.

In Bacchi honorem Athenis celebrabantur per triduum: sc. mensis Anthesterionis die XI, XII, XIII. Primus dies dictus Πιθοιγία, secundus Χόες, tertius Χύτροι.

Aristoph. Schol. ad *Acharn.* 960. horum omnium testis est. Adde Plutarch. *Sympos. III*, Qu. 7. p. 655. D. et IX, Qu. 10. p. 735. D. Athenaeus X, 10. p. 437. C. Perizon. *ad Aelian. V. H. II*, 41. De Prouerbio θύραζε κᾶρες, οὐκ ἔτ' Ἀνθεστήρια v. Hesych. et Suid.

Ἀπατούρια.

I. In honorem Bacchi [a]): nomen habent ab ἀπάτη, quia dolus, siue strategema, quo Melanthius Atheniensium rex deuicit Xanthium Boeotiae regem, originem dedit festo [b]). Alii vero volunt Ἀπατούρια dicta quasi ὁμοπατούρια, quia hoc festo patres conueniebant, vt liberos inscribi curarent albo curiali [c]).

a) Hoc tradit autor Etymologici, it. Proclus *in Timaeum Comment. I.* Sed videntur fuisse festum plurium Deorum, in honorem Iouis Φρατρίου: Schol. Aristoph. *Acharn.* 146. et Ἀπατήνορος: Etymol. Mineruae: Schol. Aristoph. l. c. et Bacchi Μελαναιγίδος: Aristoph. Schol. l. c. item Vulcani: Harpocrat. in λαμπάς. Dianae: Hesych.

Hesych. in κȣρεῶτις, et Cereris κȣροτρόφȣ Herodot. vita Homeri.

b) Conon. Narrat. 39. p. 282. sq. et quos ibi citat Gale. Suidas in Ξάνθιος, Μελάνθιος, , et Ἀπατȣ́ρια. Polyaen. *Strateg. I,* 19.

c) Schol. Ariſtoph. *Achārn.* 146.

Aliam cauſſam, eamque notatu dignam habet Potter. p. 392.

II. Celebrabantur per triduum [a]): initium fiebet die XXII. menſis Pyanepſionis [b]). v. Petit. *ad Legg. Att.*

a) Suidas in Ἀπατȣ́ρια et Schol. Ariſtoph. l. c.

b) Theophr. *Charact. Eth.* c. 4. περὶ ἀδολεσχίας.

III. Primus dies dictus Δόρπεια, quia tunc conuiuia agitabant. Δόρπος enim eſt *coena.*

Schol. Ariſtoph. *Acharn.* 146. Xenoph. *Hiſt. gr.* l. 1. et Herodot. *vita Homeri.*

IV. Secundus dies a re diuina, quia tunc fiebat Ioui φρατρίῳ et Mineruae, dictus Ἀνάῤῥυσις [a]).

a) Schol. Ariſtoph. *Pac.* 890. ἀπὸ τȣ̃ ἀναῤῥύειν, i. e. σφάζειν, vt explicat Heſych. vel ἄνω ἐρύειν: *ſurſum flectere,* quia in ſacrificiis ſuperorum iugulum victimae ſurſum vertebatur. Homer. Ιλ. α. 459. et ibi Schol. Hinc non modo ἀνάῤῥυσις, ſed et ἀνάθυσις dicitur a Schol. Ariſtoph. *ad Theſmoph.* 565. conf. Etymol. Proclus *in Timaeum Comment. I.* τὰ δὲ θύματα ἐκάλȣν ἀναῤῥύματα, ἐπειδὴ ἀνελκόμενα καὶ ἐρυόμενα ἄνω ἐθύετο.

V. Tertius Κȣρεῶτις, a κȣρὰ, *tonſio,* quia tunc tondebantur liberi, antequam nomina eorum in tabulas publicas referebantur.

Heſych. in Κȣρεῶτις. Ariſtoph. Schol. *ad Acharn.* 146. et quos laudat Valeſ. *ad Harpocrat.* p. 123.

Βραυρώνια.

I. Festum Dianae Brauroniae a), sic dictae a Braurone, Atticae pago b).

a) Hesych. in Βραυρώνια.

b) Pausan. *Attic.* c. 23. p. 55.

II Semel quinquennio celebrabantur. Pollux VIII, 9. 31.

III. In hoc festo adolescentulae in veste flaua Dianae consecrabantur a) dicebanturque tunc ἀρκτεύειν, ἀπὸ τῶν ἄρκτων, quo nomine illae appellabantur b): et δεκατεύειν, quia circiter decem annorum erant c).

a) Aristoph. *Lysistr.* v. 644.

b) Harpocrat. in Ἀρκτεῦσαι, et Aristoph. *l. c.*

c) Hesych. in δεκατεύειν. Adde Suidam v. ἄρκτος.

Δαφνηφόρια.

In honorem Apollinis singulis nouenniis celebrabantur a Boeotis. In eo circumferebatur ramus oleaginus, corollis ex lauro floribusque ornatus, in summo habens globum aeneum, a quo minores alii globi dependebant, in medio globum altero minorem. Aeneo illo globo, qui in summo erat, adumbrabatur *Sol*, qui Apollo: medio globo inferior magnitudine *Luna*: minoribus ceteris globulis *Stellae &c.*

v. Proclus *in Chrestomathia.*

Pausan *Boeot.* c. X. p. 730.

Simile festum Apollinis et Daphnes describit Eustath. *de Ismen. amor.* l. 8. et 9.

Διονύσια.

I. In honorem Bacchi celebrabantur a), et quidem Athenis maiore cum festiuitate, quam in reliquis Graeciae locis b).

a) Hesych.

a) Hesych. in Διονύσια. A Dionyso i. e. Baccho. Dicuntur saepe Orgia. Dicuntur et Βακχεῖα in genere, *festa Bacchi.* Aristoph. *Ran.* 360. et ibi Spanh.

b) Hoc cum ex aliis, tum ex eo colligitur, quia Athenienses a Dionysiis annos numerabant, vt testatur Suidas in Διονύσια, quia principis archontis erat *Dionysia curare,* διατιθέναι Διονύσια, vt scribit Pollux VIII. p. m. 440. et quia denique παρὰ ταῖς θέαις προεδρίᾳ ἐπετίμητο ὁ ἱερεὺς τοῦ Διονύσου, vt testatur Schol. Aristoph. *ad Ran.* v. 299. quia sacerdos Bacchi primas sedes in spectaculis publicis occupabat.

II. Primo proferebatur in hoc festo vas vino repletum, et vite ornatum, dein caper, tum canistrum ficubus plenum, denique phalli.

Omnia testatur Plutarch. *de cupiditate diuitiarum* p. 527. D.

III. Etiam Bacchi cultores pellibus hinnuli induti a), capita coronati hedera b), vite c), et thyrsos d), tibias e), tympana f) &c. gestantes, in publicum prodibant: alii Silenum, Pana et Satyros agentes g), alii asinis insidentes h), atque ita per solitudines i) et colles vagantes saltantesque k) horrendum clamabant Εὐοῖ σαβοῖ, εὐοῖ βάκχε, vel Ἰὼ Βάκχε l).

a) Schol. Eurip. *ad Phoeniss.* v. 789. Eurip. *Bacch.* v. 111. 833. et 695. Aristoph. *Ran.* 1242. v. Luciani *Bacchus* T. II. p. 360. sq. paullo aliter de vestitu ritu que Bacchantium in Dionysiis Lucian. de *non temere cred. cal.* p. 417.

b) Eurip. *Bacch.* v. 81. 106.

c) Philostr. *Icon.* I, 18. p. 791. et I, 19. p. 793. Ouid *Met. VI,* 587. v. Broukhus. *ad Tibull. III,* 6. v. 1. Homer. *h. in* Διόνυσ. v. 35. seq. Ouid. *Met. III,* 666. Barth. *ad Stat. Theb. II,* p. 294. sqq.

d) Eurip. *Bacch.* v. 80.

 e) Catull.

e) Catull. *carm.* 61. v. 261. Virgil. *Aen.* XI, 737. Ouid. *Met.* III, 533. IV, 391. Eurip. *Bacch.* 127. sq. 160

f) Eurip. *Bacch.* 59. 124. 156. 513. Liu. XXXIX, 8.

g) v. Diod. Sic. IV, 3. 4. 5. p. 211. sqq. Vlpian. *ad Midianam* p. 194. A. Plutarch. *in Antonio.* Petau. *ad Synes.* p. 27.

h) Ad imitationem Sileni, cuius Insigne asinus. Perizon *ad Aelian.* III, 18.

i) Eurip. *Bacch.* v 222.

k) Idem v. 62, 76. sq. 115. sq.

l) Idem v. 141. vbi Εὐοῖ v. 576. vbi ipse Bacchus ad Bacchas Ἰὼ Βάκχαι et v. 582. vbi chorus ad Bacchum Ἰὼ, Ἰὼ δέσποτα, δέσποτα. Aristoph. Θεσμοφ. 1003. et Schol. ad 999. καὶ ἐβόων Εὐοῖ καὶ σαβοῖ v. ad *Au.* v. 874.

IV. Erant μεγάλα a) quae etiam Διονύσια τὰ κατ᾽ ἄστυ dicta b), quia intra vrbem celebrabantur c) tempore verno d), quando in iis ludi publici edebantur e).

a) Vlpianus *ad Demosth. orat. contra Leptinem.* Palmerius *Exercitat.* p. 505. et p. 617.

b) Aeschines *contra Ctesiphontem* p. 284. edit. Basil. 1672.

c) Schol. Aristoph. *ad Acharn.* v. 503.

d) Idem *l. c.*

e) Ibidem. Quia tunc mari aperto *tributa* afferebantur Athenas ex insulis, et aliis locis, ideoque erat vrbs referta extraneorum hominum turba, quibus et comoediae et alia oblectamenta dabantur in honorem Bacchi, v. Palmer. *Exercit.* p. 618. v. Prooem. Comoed. Aristoph. *in Au.* et Sam. Petit. *Miscell.* I, 10. Perizon. *ad Aelian.* II, 13. n. 16.

V. Μικρὰ a) vero dicta etiam Διονύσια τὰ κατ᾽ ἀγροὺς b), quia ruri agebantur. Haec in autumnum incidebant c).

a) v.

a) v. Palmer. *Exercit.* p. 505. Casaub. *ad Athen. IV*, 15. p. 445.

b) Theophr. *περὶ ἀγροικίας.*

c) Haec et Λήναια dicta Palmerius tradit *l. c.* hyeme mense Posideone, et quotannis recurrisse. Aristoph. Schol. ad *Au.* 201. 377. conf. Scaliger *de Emendatione Tempp. I.* p. 29. edit. L. B. a. 1598.

Ἐλευσίνια.

I. Haec omnium festorum celeberrima a), ab Atheniensibus b) aliisque c) de quinquennio ad quinquennium agitata d). Haec dicuntur et μυστήρια et Initia Ciceroni de legg. II, 14. item τελετὴ Socrat. Paneg. 6.

a) Aristot. *Rhetor. II*, 24. Zosim. IV, 3.

b) Philostr. *Apollon. IV*, 6. Augustin. *de C. D, VII*, 20.

c) Pausan. *Phocic.* c. 31. p. 876. v. c. Celeensibus. Pausan. *Corinth.* c. 14. p. 142. Pheneatis. Pausan. *Arcad.* c. 14. aliisque.

d) Sunt, qui haec sacra non quinto quoque anno celebrata, sed annua fuisse putant, inter quos est Anton. von Dale *Diss. VIII ad Marmora* c. 2.

II. Haec etiam distincta in μικρὰ et μεγάλα a). Μεγάλα Cereri, μικρὰ Proserpinae sacra b).

a) Schol. Aristoph. *ad Plut.* v. 1014. et 846.

b) Testatur vtrumque idem Scholiastes *ad Aristoph. Plut* v. 846.

III. Μικρὰ erant quasi praeparatio ad μεγάλα.

Aristoph. Schol. *ad Plut.* v. 846. ἐστι τὰ μικρὰ ὥσπερ προκάθαρσις καὶ προάγνευσις τῶν μεγάλων. Clem. Alex. *Strom. V.* p. 429. conf. Polyaen. V, 17.

IV. Qui ad μικρὰ admittebantur, Μύσται a); qui ad μεγάλα, Ἐπόπται b) dicebantur.

a) Suidas in Ἐπόπτης et Casaub. *ad Athen. VI*, 15. p. 446. sq. Quia minora erant praeparatio ad maiora,

ra, eleganter ab Euripide Somnus dictus τὰ μικρὰ τȣ̃ θανάτȣ μυστήρια.

b) Item Ἔφοροι Suid. *l. c.*

V. Qui eos initiabat, Ἱεροφάντης dictus.

Hesych. v. Ἱεροφάντης. Suidas. Diog. Laert. VII, 186. Philostr. Apollon. IV, 18. vbi dicitur Hierophanta i. e. *sacrorum antistes* παρέχειν τὰ ἱερὰ, item τὴν Ἐλευσῖνα ἀνοῖξαι, *Eleusinem patefacere, ad sacra admittere.* Tacit. *Hist. IV*, 83. vocat antistitem ceremoniarum Eleusiniarum. Dicitur et Mystagogus. Ceterum quaecumque de Hierophanta sunt scitu digna, ea lege apud Meurs. *Eleusin.* c. 13.

VI. Initiatio fiebat certis quibusdam ritibus.

De his ritibus Schol. Aristoph. *Plut.* 846. et 1014. sqq. Arrian. *in Epictet. III*, 21.

e. g. initiatio fiebat noctu. Schol. Aristoph. *Ran.* 346. Cic. *de legg. II*, 14.

Fiebat in sacello quodam, quod Aristophanes vocat μυστοδόκον δόμον. *Nub.* v. 302.

Initiandi erant corona myrtea caput redimiti. Schol. Aristoph. *Ran.* v. 333. μυρσίνης στεφάνῳ ἐστεφανȣ̃ντο οἱ μυȣ́μενοι.

Plura suppeditat Meurs. *Eleus.* c. IX. et sqq.

VII. Ἱεροφάντης tres habebat collegas Δᾳδȣ̃χον a), Κήρυκα b), et Τὸν ἐπὶ βωμῷ c).

a) *Taediferum*, quia in sacris Cereris Eleusiniis faces deferebat. Mentionem facit Athen. I, 18. p. 121. Plutarch. *in Alcibiad.* p. 202. E. *in Aristide* p. 321. D.

b) Cerycem vel *sacrum praeconem.* Mentio eius apud Plutarch. *Alcibiad.* p. 202. E. Dicebatur et Ἱεροκήρυξ apud Suid. et Spon. *Itiner.* P. II. p. 216. Plura Meursius *l. c.* c. 14. In Inscr. Gruter. p. 27. n. 4. occurrit Hieroceryx D. S. I. M. i. d. Deae sanctae Isidis Matris, vel Dei Solis Inuicti Mithrae.

c) i. e. *eum, qui ad aram ministrat.* Sicut Hierophanta Creatoris, Daduchus Solis, Ceryx Mercurii, ita

ita ὁ ἐπὶ βωμῷ Lunae effigiem repraesentabat. Euseb. Praep. Eu. III, 12. f. 117.

VIII. Aderant etiam viri ex Magistratibus, vt vnus ex Archontibus, Βασιλεὺς dictus a), et quatuor Ἐπιμεληταὶ dicti b), qui curabant, vt cuncta rite et ordine fierent.

a) Hesych. βασιλεὺς, ἄρχων τις Ἀθήνησι μυστηρίων προνοῶν. Pollux VIII, 8. 3.

b) Pollux VIII, 8. 3. Fuisse quatuor, legitur apud Harpocrat. et Suidam in Ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων. v. Alciati *Parerg.* II, 29.

IX. Vestis, in qua quis initiatus erat, sacra habita, nec abiiciebatur detrita, sed Cereri et Proserpinae dicabatur.

Schol. Aristoph. *Plut.* 846. et 843. sq. v. Dempst. ad *Antiqu. Rom.* p. 328.

X. Durabant Eleusinia per nouem dies, a 15. vsque ad 23. mensis Boedromionis a). Illis diebus non fas erat aliquem apprehendere b), aut libellum supplicem offerre. Qui hoc fecerat, mille drachmis multabatur c).

a) Polyaen. III. c. XI. n. 2. ex restitutione Meursii. De mense Boedromione Theophr. *Charact. Eth.* cap. περὶ ἀδολεσχίας. Plutarch. *in Demetrio* fol. 900. E. Nouem illos dies et nomina cuiusque recenset Meursius *in Eleusin* 22-30.

b) Demosth. *in Midiana.* p. 409. C.

c) Andocid. περὶ μυστηρίων p. 228. Νόμος ἦν πάτριος, ὃς ἂν θῇ ἱκετηρίαν μυστηρίοις, τεθνάναι. Hoc dicebant inimici Andocidis: ipse id negat, et mulctam tantum mille drachmas esse dicit in sequentibus p. 231.

XI. Secundum Lycurgi legem mulieri non licebat curru vehi Eleusinem. Multabatur alias 6000. drachmarum a).

a) Plutarch.

a) Plutarch. Tom. II. *in X. Oratorum vitis*, Lycurgo, p. 842. A. v. Petit. *ad legg. Attic.* p. 35. Aelian. *V. H.* XII, 24.

Θεσμοφόρια.

I. Festum Cereris Θεσμοφόρȣ *Legiferae* a) celebrabatur in pluribus Graeciae ciuitatibus b), sed solemni cum pompa Athenis c),

a) Phurnut. *de Nat. Deor.* XXVIII. p. 212. Hygin. *fab.* 47. 274. 277. Quia sc. Ceres prima leges dedisse et vitam humanam ordinasse ferebatur. Diodor. Sic. I, 14. p. 13. et V, 68. p. 336. Inde et *Legifera* dicitur Virgilio *Aen.* IV, 58. vbi vid. Seruius.

b) e. g. Lacedaemone, Hesych. in Τριήμερος. Thebis apud Boeotios, Plutarch. *in Pelopida.* p. 280. C. Mileti apud Ionas, Parthen. *Erot.* VIII, p. 358. Megaris, Pausan. *Attic.* c. 42. p. 102.

c) Schol. Theocrit. *ad Idyll.* IV, 25.

II. Sacra obibant ingenuae mulieres et honestae matronae a) veste candida indutae b), quae aliquot diebus ante in casto viuebant c). Quare agno casto, vitis palmitibus lectum sternebant d). Granis mali Punici vesci iis non licebat e).

a) Isaeus *in Orat.* περὶ τȣ̃ Κίρωνος κλήρȣ p. 511. Theocrit. Schol. *Idyll.* IV, v. 25.

b) Ouid. *Met.* X, 431. *Fast.* IV, 619.

c) *In casto viuere* est castitati operam dare et rebus venereis abstinere: graece est ἁγνεύειν. vid. Clemens Alex. *Strom.* IV, p. 381. edit. L. B. a. 1616. Ouid. *Met.* X, 431.

d) Vt ad castitatem illam seruandam idoneae essent, substernebant sibi in lecto a) κνέωρον Hesych. in ea voce. b) *Viticem* Plin. XXIV, 9. Aelian. *Hist. An.* IX, 26. Haec vitex, et salix Amerina dicitur, item agnos, vulgo ab herbariis agnus castus, vtraque voce idem significante. v. Harduin. ad Plin. l. c. c) *Conyzam* vel

Cnyzam Schol. Theocrit. *Idyll. IV*, 25. Conyza dicitur et pulicaria. d) *Pinus folia* Steph. in Μίλητος. Nam haec omnia Veneris appetitum credebantur restinguere.

e) Clem. Alex. *Protrept.* p. 10. A.

III. Vndecimo Pyanepsionis die [a]) mulieres libros, in quibus leges erant conscriptae, super capite gestantes [b]) petebant Eleusinem. Vnde hic dies ἄνοδος dictus [c]).

a) Hesych. in Ἄνοδος.

b) Schol. Theocrit. *ad Idyll.* v. 25.

c) i. e. *adscensus* Hesych. *l. c.*

IV. Die XIV. initium fiebat solemnitatis, quae ad XVIII. diem durabat.

Hoc colligitur ex Aristoph. *Thesmoph.* v. 86. Plutarch. *in vita Demosth.* p. 860. B. et Athenaeo l. VII. c. XVI. p. 307. F. Nam ex posteriore Athenaei loco illud patet, medio Thesmophoriorum die νηστείαν, *ieiunium*, fuisse celebratum. Prior autem Plutarchi locus diserte docet, decimum sextum diem mensis Pyanepsionis fuisse, quo νηστείαν illam celebrarent feminae. Denique Aristophanes *l. c.* habet, diem festi tertium fuisse medium.

V. Decimus sextus dies vocabatur Νηστεία [a]), quia eo die humi iacentes ieiunabant [b]) in signum demissi animi [c]).

a) Athen. VII. 16. p. 307.

b) Plutarch. *de Isid. et Osir.* p. 378. D.

c) Varias huius ieiunii caussas comminiscitur Phurnutus *de Nat. Deor.* c. XXVIII. p. 210. sq.

Ὀσχοφόρια.

Atheniensium hoc festum [a]) sic appellatum a *ferendis ramis*, a quibus pendebant racemi, Ὀσχαις dictis [b]).

a) Plutarch.

in quo peplo gigantes, heroes, et fortitudine clari viri acu picti erant c). Etiam Homeri carmina a rhapsodis cantabantur. Aelian. V. H. VIII, 2. Lycurg. *adu. Leocrat.* p. 181.

a) Nam Gymnicum certamen in his fuisse tradit Demosth. *de corona*; Equestre autem Xenoph. *in Sympos.*

b) Plato *in Euthyphrone.* Plaut. *Mercat.* I, 1, 67. Virgil. *Cir* v. 29. sq.

c) Eurip. *Hecub.* v. 468. sq.

Schol. Aristoph. *Equ.* v. 563. Virgil. *Cir.* v. 29. sq. Hinc prouerb. ἄξιος τȣ͂ πέπλȣ Aristoph. *Equ.* 563 i. e. *vir praeclarus.* Peplus autem vestis alba, manicis carens, auro contexta, in qua depicta Mineruae facinora, et Iouis, et heroum, et aliorum.



CAP. XVII.

DE LVDIS ET CERTAMINIBVS GRAECORVM.

DE CVRSV ETC.

I. *Ludi*, gr. Ἀγῶνες dicti a). Exercitia eorum erant:

1. Δρόμος, Cursus b)
2. Δίσκος, Discus
3. Ἅλμα, Saltus
4. Πυγμὴ, Pugilatus
5. Πάλη, Lucta c).

Haec quinque certaminum genera vocantur Πένταθλον, *Quinquertium* d). Licet alii pro *pugilatu* in his quinque ponant ἀκόντιον, *iaculum* e).

a) Nice-

a) Nicephorus in Scholiis *ad Synesii* loc *de Insomniis*, p. 428. Edit. Petauianae. Lutet. Paris. a. 1633. vocat ὀλυμπιακοὺς ἀγῶνας.

b) Δρόμου ἀγὼν saepe apud Pausan. e g. *Lacon. XIII.* p. 239. occurrit et *Eliac. I.* c. 1. p. 376. Vocatur et ποδωκείη Anthol. I, 1. *epigr.* vlt.

c) De his ludis Virg. *Aen. III.* v. 281.

Exercent patrias oleo labente palaestras
Nudati socii.

Sic enumerat quinque haec exercitia etiam Scholiastes ad *Anthol. II*, 1. epigr. 7. Synesii interpres l c. habet πυγμὴν, πάλην, δρόμον, ἀκόντιον καὶ δίσκον. Hic omittit ergo ἅλμα. Aliquot enumerat Plaut. *Bacch. I*, 1. 33. sq. plura III, 3. 24. *Mostell. I*, 2. 73. conf. Brodaeus *ad Anthol. I*, 1. epigr. vlt. Interpretes Festi in Pentathlum.

d) Generatim γυμνάσματα et γυμνάσια, γυμνασμάτων ἀγῶνες dicuntur a Luciano *de Gymn.* p. 272. Ἀγῶνες γυμνικοὶ ab Aristoph. *Plut.* 1164. artes aut exercitationes palaestricae Quintil. II, 21. Sacra certamina. Quintil. II, 8. 7. Πένταθλον vocat e. g. Plutarch. *de Musica* 1140. D. et ex Lat. Festus, qui et Quinquertium habet. Octo ἀγωνίσματα recenset Schol. Aristoph. *ad Au.* 293.

e) Simonides *in Anthol. I*, 1. epigr. vlt. pro pugilatu ponit ἄκοντα, i. e. ἀκόντισμα *iaculationem.*

II. Δρόμος peragebatur in stadio a): στάδιον erat 125. passuum b): Dicitur etiam αὐλός c).

a) Hinc a Pausan. *Messen. IV.* p. 288. dicitur ἀγώνισμα σταδίου: et de eo, qui e cursus certamine victor discessit *Attic. XLIV.* p. 106. ἐνίκα στάδιον δραμών. Et cursores *Eliac. II*, 20. p. 503. dicuntur σταδιοδρόμοι. Auctor *ad Herenn. IV*, 3. vocat Olympiacum cursum.

b) Plin. II, 23. Censorinus quidem c. XIII. Italico stadio Olympiacum minus, Pythicum vero maius. Italicum porro pedum sexcentorum viginti quinque, seu quod idem est, centum viginti quinque passuum facit.

facit. Sed nihil interesse inter Italicum, Olympicumque stadium alii putant. v. Harduinus *ad Plin. l. c.*

c) Nam vt Athenaeus V, 3. p. 189. Πᾶν τὸ διατεταμένον εἰς εὐθύτητα σχῆμα, αὐλὸν καλοῦμεν ὥσπερ τὸ στάδιον. *Quaecumque figura in rectum protenditur, illam* αὐλὸν *vocamus, veluti stadium &c.*

III. Δρόμος quadruplex fuit [a]):

1. Στάδιον [b]),
2. Δίαυλος [c]),
3. Δόλιχος [d]),
4. Ὁπλίτης [e]).

Vnde cursores dicti Σταδιοδρόμοι, Διαυλοδρόμοι, Δολιχοδρόμοι, Ὁπλιτοδρόμοι [f]).

a) Omnes hos enumerat Schol. Aristoph. *ad Au.* 293.

b) i. e. *curriculum CXXV.* passuum, v. quos paulo ante laudauimus auctores.

c) i. e. *spatium*, quod cursores eodem in stadio bis: nempe itu ac reditu emetiuntur v. Spanh. *ad Callim. h. in Pallad.* v. 23.

d) i. e. *spatium septem stadiorum.* Schol. Aristoph. *ad Au.* 293. Aliter Suidas. Meminit Lucian. *in Demosth. Encom.* p. 686. Spanh. *ad Callim.* p. 553.

e) Aristoph. Schol. *ad Au.* 293. *qui armatus currit ac certat.*

f) Pollux III, 30. 146.

IV. Σταδιοδρόμοι, qui semel decurrebant stadium [a]), Διαυλοδρόμοι, qui bis [b]), Δολιχοδρόμοι, qui sexies vel septies [c]), Ὁπλιτοδρόμοι, qui armati [d]).

a) Aristoph. Schol. *ad Au.* 293. οἱ γὰρ σταδιοδρόμοι διπλοῦν ποιοῦνται τὸν δρόμον. Lege ἁπλοῦν pro διπλοῦν, aut pro σταδιοδρόμοι scribe διαυλοδρόμοι.

b) Schol. Aristoph. *ibid.*

c) Septies

c) Septies teſtatur Schol. Ariſtoph. l. c. ſexies Auctores *Obſ. Miſcell.* Vol. IV. p. 3. ex Platone, Aeſchine et Anthologia.

d) Schol. Ariſtoph. l. c.

V. In ſtadio erant termini duo, prior, vnde currere incipiebant: poſterior, vbi deſinebant.

VI. Prior, qui Lat. *carceres* a), Graece ἄφεσις b), βαλβὶς c), et γραμμή d).

a) Auctor *ad Herenn.* IV, 3. Translate Varro *de R. R. I*, 3. Cic. *de Senect.* c. vlt.

b) Pollux III, 30, 147.

c) v. Schol. Ariſtoph. *ad Equ.* v. 1156. et *ad Veſp.* v. 546.

d) Schol. Ariſtoph. *ad Acharn.* 482. Dicitur et ἀφετηρία Schol. Ariſtoph. *ad Veſp.* v. 546. item ὕσπληγξ Pollux l. c. et Anthol. I, 1. Lucian. de non temere cred. cal. p. 413.

VII. Poſterior Lat. *meta* a) Gr. τέλος b), τέρμα c), σκοπὸς d), γραμμὴ et ἄκρα γραμμη e).

a) Varro *de R. R. I*, 3. Etiam calx dicitur Cic. *Tuſc. Qu.* I. 8.

b) Pollux III, 30. 147.

c) ibidem.

d) Paulus *ad Phil.* III, 14. conf. Rameſ. *de Prado Pentecont.* c. 50.

e) Pindar. *Pyth. Od.* 9. v. 208. Eurip. *Antigon.* v. 29. *Electr.* 955. *Ion.* 1514. videtur et σταθμὴν vocare. Inde metaphora ducta Horatio dicitur *mors vltima linea rerum ep.* I, 16. v. 79. καμπὴ videtur dici Eurip. *Electr.* 659.

VIII. Plures ſimul in ſtadio certatim currebant.

Facile colligitur ex *Anthol.* II, 1. epigr. 5. quod eſt Nicarchi, et ex multis aliis ſequentibus. Vnde συναγωνισταὶ, ἀντίπαλοι &c. commemorantur.

 IX. Poſte

IX. Poſterior curſor, qui priorem inſequebatur, et conſequi ſtudebat, dicebatur *διώκειν* a), vt qui priorem conſequebatur, *καταλαμβάνειν* b).

a) 2 *Cor. IV.* 9. v. Lamb. Bos *ad Rom. IX,* 30. Heſych. in hac voce.

b) 1 *Cor. IX,* 24. vid. Lamb. Bos *l. c.* conf. *Phil. III,* 12. Alluſit huc Lucian. *in Hermotimo* p. 564.

X. Qui primus omnium metam contingerat, huic vt victori dabatur praemium, quod graece *ἆθλον* a) et *βραβεῖον* b). De quo iudicabant praefecti ludorum, et decernebant c). Hi *βραβευταὶ* &c. dicti d).

a) b) Schol. Pindar. *in Olymp.* Od. I. antiſtr. δ. v. 1. Interpr. ad 1 *Cor. IX,* 24.

c) d) Pollux III, 30. 145. Theodoret. *ad Coloſſ. II,* 18. Dicti et ἀγωνοθέται- ἀγώνων διαθέται, ἀθλοθέται &c. Pollux III, 30. 140. Ἀθλοθέτης *Anthol.* I, 2. ep. 11. v. de Brabeutis Budaeus *ad Pandect.* p. 84. edit. Aſcenſ. v. quos citat Paſchal. *de Coron. VI,* 11. Latine poſſes dicere *magiſtros ludorum gymnicorum* vel *magiſtros certamini praepoſitos.* Suet. *Ner.* 12. Vtitur et graeca voce *brabeutes.* Suet. *Ner.* 53.

XI. Praemia illa fuerunt viles coronae, vel ex *oleaſtro* a), vel *pinu* b), vel ex *malo* c), vel ex *apio* d).

a) Ἐκ κοτίνȣ. Pauſ. *Eliac. prior.* VII. p. 392. Ariſtoph. *Plut.* 586. et Paſchal. *de Coron. VI,* 18. p. 399. ſq. vbi contra Scholiaſten Ariſtophanis diſputat, de qua diſputatione iudicat Hemſterhuſ. *ad* Plut. *Ariſtoph.* l. c. v. Plin. XV, 4.

b) Lucian. *de Gymn.* p. 272. Plin. XV, 10.

c) Haud dubie arbor intelligenda. Scilicet victor videtur coronatus fuiſſe ramuſculis μηλέας ſuo fructu oneratis. v. Palmer. *Exercit. ad auct. gr.* p. 549. ſq.

d) Pind.

d) Pind. *Olymp.* Od. 13. v. 45. Lucian. *de Gymnaf.* p. 272. Plin. XIX, 8. Iuuenal. VIII, 226. Non omittendum eft, praemia haec non fuiffe curforum propria, fed omnium ἀγωνιςῶν communia.

XII. Qui a tergo relinquebantur et proin praemio deftituebantur, graece ὑςερεῖν, ὑςερεῖσθαι a), et καταλείπεσθαι dicebantur b).

a) Hafaeus *in Biblioth. Bremenf.* Claff. II. p. 228.

b) Hafaeus *ibid.* v. Vuolfii *Cur. Philol. ad Ebr. IV*, 1. Homer. οδ. θ. 125.

CAP. XVIII.

DE DISCO.

I. Δίσκος erat lamina quaedam rotunda a), tres quatuorue digitos craffa b). Erat grauis c) vel ex lapide, vel ex aere, vel ex ferro d), qualis σόλος dictus e).

a) Alii rotundam molem, Statius *Theb. VI*, 648. *lubrica maffae pondera*, et *orbem* v. 656. v. Ouid. *Met.* X, 184.

b) Hanc craffitudinem difco adftruunt, qui marmoreas difcobolorum ftatuas viderunt. v. Hier. Mercurialis *de Arte Gymnaftica II*, 12. p. 123. edit. Venet. a. 1601.

c) Hinc *iaculabile dextrae pondus* Statius l. c. v. 658. et *molem praegrauidam* v. 700. vocat. Vide defcriptionem difci apud Lucian. *de Gymnaf.* p. 289.

d) Euftath. ad οδ. θ. v. 186. p. 301. edit. Baf.

e) Homer. ιλ. ψ. v. 826.

II. Nomen videtur effe ἀπὸ τȢ δίσκειν, antiquo, pro δίκειν *iacere* a); Nam in aërem iaciebatur b).

 a) Huius

a) Huius notationis auctor Eustath. ad ιλ. β. v. 281, prope fin. p. 260. v. idem Eustath. ad οδ. δ. p. 301. lin. 20. Verbo δίκειν pro βάλλειν vel καταβάλλειν saepe vtitur Euripides v. c. *in Bacchis* v. 600. sq.

b) Ouid. *Met.* X, 178. Stat. *Theb.* VI, 681. Horat. *Sat.* II, 2. v. 13.

III. Ita proiiciebatur discus, ope loramenti a) per medium foramen immissi b), vt insonaret c). Et quando proiiciebant discum, manum ad pectus adducebant, tum extrorsum et deorsum reducebant, et rotationis ad instar illum in aërem eiaculabantur d).

a) Vel *amenti*, quod Eustath. ad οδ. θ. v. 186. p. 301. vocat καλώδιον.

b) Patet ex verbis Eustathii l. c. Δίσκος, λίθος τετρημένος, καὶ ἔχων ἐκ μέσου καλώδιον, οὗ ἐχόμενοι οἱ ἀγωνιζόμενοι ἔδικον, ὅ ἐστιν, ἔβαλλον.

c) Homer. οδ. θ. v. 190. vbi de sono disci verbum βομβεῖν. Stat. *Theb.* VI, 703. Cic. de Or. II, 5.

d) Ita Hier. Mercurial. *de Arte Gymn.* II, 12. p. 123. ex versu Propertii III, 12. 10. *Missile nunc disci pondus in orbe rotat.* conf. Stat. *l. c.* v. 707. Modum iaciendi disci bene delineat Philostr. *Icon.* I, 24. p. 798. sq.

IV. Hoc graece δίσκοις γυμνάζεσθαι a), ἐρίζειν περὶ δίσκου b), δισκεύειν c), δίσκους ῥίπτειν d), δίσκους βάλλειν e), δισκοβολεῖν f). Vnde δισκοβόλος, qui hoc certamine vtitur.

a) Lucian. *Dial* p 209.

b) Aelian. *V. H.* I, 24. Philostr. *Icon.* I, 24. p. 799.

c) Philostr. *ep.* 44. et *Icon.* XIV. p. 886. Δισκεῖν habet Homerus οδ. θ. v. 188.

d) Ἀναῤῥίπτειν τὸν δίσκον εἰς τὸ ἄνω Lucian. *Deorum Dial.* p. 209. Δίσκον ῥίψαι. Hesych. in Δισκεῦσαι. Ῥίπτειν habet Homer. ιλ. ψ. v. 842.

e) Qu-

e) Qu. Smyrnaeus IV. 437. 445.

f) Plin. XXXIV. 8. Quint. II, 13. 10. Plura dabit Pollux III, 30. 151.

V. Qui longius ſuum eiaculatus erat diſcum, victor habebatur.

Lucian. *de Gymnaſ.* p. 289. Homer. ιλ. ψ. v. 841. ſq. οδ. θ. v. 192. ſqq. Stat. *Theb. VI*, 713. Qu. Smyrnaeus IV, 445.

VI. Egregii huius corporis exercitii a) inuentores traduntur Lacedaemonii b).

a) Praeſtantia eius patet ex eo, quod Lucian. *de Gymn.* p. 298. tradit, diſci certamine humeros roborari, et lacertos rigidos fieri.

b) Inde *diſcus Spartanus* Martial. XIV, 164. Perſei inuentum eſſe tradit Pauſan. *Corinth. XVI*, p. 146.

CAP. XIX.

DE SALTV.

I. **Saltus** gr. ἅλμα, ἀπὸ τῦ ἅλλεσθαι, fiebat aliquando manibus vacuis a), aliquando pondera plumbea tenebant, quae gr. ἁλτῆρες dicuntur b), Habebant ea pondera aliquando in manibus c), aliquando ſupra caput vel ſupra humeros d).

a) Colligitur ex Ariſtot. *de Animal. inceſſu* c. 3. et *Problem.* Sect. 5. n. 8.

b) Ariſtot. l. c. Mart. XIV, 49. Pauſan. *Eliac. I*, 26. p. 446. coll. c. 27. p. 450. Sunt halteres maſſae plumbeae vel lapideae manibus prehenſae, et in altum vibratae, vt ſalientis corpus velut adiuuarent. Sunt halteres quaſi ſaltus adiutores. Lucian. *de Gymn.* p. 289 vocat μολυβδίνας χειροπλήθεις i. e. *maſſas plumbeas, pondera plumbea tantae magnitudinis, vt manus*

nus impleant. De his halteribus accipiendus Iuuen. VI, 421. Sen. epp. *XV.* et *LVIII.*

c) d) Hoc Mercurialis II, 12. ex vetusta tabula a Ligorio accepta coniicit.

II. Terminus, a quo saliebant, gr. *βατὴρ*, *limen* dictus.

Pollux III, 30. 151.

III. Terminus, ad quem, dictus τὰ ἐσκαμμένα [a]). Vnde prouerb. πηδᾷν ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα, *de iis, qui modum in aliqua re excedunt* [c]).

a) Pollux III, 30. 151. Dicitur et σκάμμα, quasi fossa, a σκάπτω *fodio*, qua voce et Graeci et Latini vtuntur, vt Suicer. *in Thesau.* docet in voce hac p. 964. sqq.

b) Adhibet Lucian. *in Gallo* p. 164. vbi Schol. explicat ὑπὲρ τὸ ὡρισμένον τι ποιεῖν.

IV. Mensura, siue regula, quam in saliendo sequi debebant, κανὼν dicebatur.

Pollux III, 30. 151. τὸ μέτρον τοῦ πηδήματος κανών.



CAP. XX.

DE PVGILATV.

I. Pugilatus, gr. πυγμή. Qui pugilatu certat, πύκτης [a]), vel πυγμάχος [b]). Vnde πυκτεύειν et πυκταλίζειν [c]), quae omnia a πὺξ, *pugnus.*

a) Pollux III, 30. 150. Et Latini vtuntur voce pycta v. c. Phaedr. IV, 24. 5. sed vt Gudius *ad h. l.* obseruat, pro *pugile*, *victore* seu *coronato.* De etymo vocis multus est Eustath. *ad* ιλ. ψ. p. 1444. lin. 2. sqq.

b) Homer. οδ. ϑ. v. 246. et Eustath. ad ιλ. ψ. p. 1444. lin. 8.

c) Eu-

c) Euſtath. ad ιλ. ψ. v. 653. p. 1444. lin. 18.

II. Pugnis enim primum decertabant [a]), dein adhibuere caeſtus [b]).

a) Ita quidem Murcurialis III, 9. qui diſtinguit caestuum pugnam a pugilatu. Sed vereor, vt recte.

b) Pugiles apud Homer. ιλ. ψ. v. 684. Apollon. Rhod. II, 50 ſq. Virg. *Aen. V*, 400. Val. Flacc. IV, 250. Stat. *Theb. VI*, 720. ſtatim ab initio pugnae manibus caeſtus inducunt.

III. Caeſtus erat lorum ex corio crudo bubulo [a]), cui inerat maſſa plumbea [b]), aerea [c]), vel ferrea [d]), et alligabatur brachiis [e]). Vocatur graece ἱμὰς [d]) vel ἱμὰς βόειος [e]), quia erat ex corio, vel *loro bubulo*.

a) Apollon. Rhod. II. 52. ſq. Val. Flacc. IV, 250. vocat caeſtus *crudis durata volumina tauris*. Caeſtus iconem exhibent Mercurial. II, 9. et Zornius *Biblioth. Antiqu. Exerc.* p. 904.

b) Virg. *Aen. V*. 404. Stat. *Theb. VI*, 729. ſq.

c) Theocrit. XXII, 3. et 80. Val. Flacc. IV, 253.

d) Homer. ιλ. ψ. v. 684. Apollon. Rhod. II. 52. vbi Schol. monet, etiam μύρμηκας dici huius generis ἱμάντας.

e) Theocrit. XXII, 3. qui etiam v. 80. vocat σπείρας βοέας, ſpiras bubulas.

IV. Ars maxima in hoc certamine erat, vitare ictum aduerſarii flexione corporis [a]), et non in aërem verberare [b]).

a) Virg. *Aen. V*, 437 ſq. 444. ſq Qu. Smyrnaeus IV, 348. Theocrit. XXII, v. 120. Stat. *Theb. VI*, 767. ſq. v. Petau. *ad Themiſt. Or. IV*, p. 548.

b) v. Lamb. Bos *Exercit. ad* 1 *Cor. IX*, 27. et quos ille citat.

V. Faciem aduerſarii ferire et foedare ſtudebat pugil [a]). Vnde plagae ab ictu obortae in facie ὑπώπια dicuntur [b]).

 a) Theocrit.

a) Theocrit. XXII, 110. sq. Anthol. II, 1. ep. 1. Plura dabit Lamb. Bos *l. c.*

b) Aristoph. *Vesp.* v. 1377. et ibi Schol. conf. Aristoph. *Pac.* 540. Interpretes ad 1 *Cor. IX,* 27. et praecipue Lamb. Bos.

VI. Qui victoriam cedebat aduersario, fessas submittebat manus [a]), aut humi decidens victum se fatebatur [b]).

a) Philo *in lib. de sacrif. Abelis et Caini* sub init. p. 103. D. Edit. Colon. Allobr. a. 1613. Theocrit. XXII, 129. sq. vbi victus manus ἀνασχεῖν dicitur.

b) Tradit Mercurialis II, 9.



CAP. XXI.

DE LVCTA.

I. Lucta, gr. πάλη, fuit exercitatio quaedam in Xysto, i. e. porticu tecta [a]), qua luctatores bini nudi [b]), oleo inuncti [c]), et puluere adspersi [d]), brachiis complicati [e]), alter alterum humi deiicere studebat.

a) Hesych. et Suid. in ξυστός. Vitruu. V, 11. conf. viros doctos ad Sueton. *Aug.* 45.

b) Nam gymnici ludi omnes a nudis exercebantur. Virg. *Aen. III,* 281. De nudatis in lucta speciatim Stat. *Theb. VI,* 832. sq. Ouid. *Met. IX,* 32. Lucian. *de Gymn.* p. 270. Hinc Augustus vetuit, ne feminae istiusmodi spectaculis interessent. Vid. Zeibichius *in athleta παράδοξος* p. 131. sq.

c) Spanh. *ad Callim.* p. 560. Ouid. *Heroid. XIX,* 11. Inde λιπαρὰ παλαίστρα Theocrit. *Idyll.* II. v. 51. vbi v. Schol. Diog. Laert. *in Anacharside.* Lucian. *de Gymn.* p. 270. Oleum illud *Ceroma* dictum, κήρωμα. Iuuen.

Iuuen. VI, 246. III, 68. Martial. XI, 48. et alibi ſaepe. Plutarch. *in lib. an Seni gerenda ſit reſp.* videtur locum ita appellare p. 790. F. ſed *in Sympoſ. II.* Probl. 4. de oleo. p. 658. Martial. VII, 31. Plin. XV, 4. XXVIII, 9.

d) Ouid. *Met. IX*, 35. ſq. Stat. *Theb. VI*, 846. Lucian. *de Gymn.* p. 270. Inde ἀκονιτὶ νικᾷν, *victoriam obtinere citra laborem.* Herodian. VIII, 6. Gell. V, 6. Inſperſio haec pulueris *baphe* dicta Martial. VII, 66. Epictet. *Enchir.* c. 35. Puluis iſte petebatur ἐκ κονίστρας, ex coniſterio h. e. loco, vbi puluis aſſeruabatur. Vid. Plutarch. *Sympoſ. II.* probl. 4. p. 638. C. Vitruu. V, 11.

e) Lucian. *de Gymn.* p. 270. Ouid. *Met. IX*, 57. ſq. Stat. *Theb. VI*, 859. ſqq. Homer. ιλ. ψ. 711. Plutarch. *Sympoſ. II.* probl. 4. p. 638. F.

II. Vetuſtiſſima habita eſt ex omnibus aliis exercitationibus.

Idem *ibid. II.* probl. 4. 5. p. 638. ſqq. hanc quaestionem tractat ex inſtituto.

III. Origo vocis incerta eſt [a]: Veroſimilior eſt ἀπὸ τοῦ πάλλειν, *a mouendo.* Eſt enim in lucta continuus motus.

a) Plutarch. *Sympoſ. II.* probl. 4. p. 638 vbi plures notationes, eaeque ſatis ineptae adferuntur.

IV. Primis temporibus magnitudine et robore corporis ſine aliqua arte vtebantur; Sed Theſeus artificioſam luctandi rationem inueniſſe dicitur.

Pauſan. *Attic.* XXXIX. p. 94.

V. Propria in Lucta ſunt verba θλίβειν [a]), κατέχειν [b]), καταβάλλειν [c]), ῥῖξαι [d]).

a) 2 *Cor. IV*, 8. Ariſtot. *Rhet. I*, 5. §. 36.

b) κατέχειν habet Ariſtot. l. c. Huc alludere creditur Paulus *Rom. VII*, 6. Huc refer μέσον ἔχειν Ariſtoph. *Nub.*

Nub. 1043. συνέχειν et ἀντιλαμβάνεσθαι Lucian. *de Gymn.* p. 289.

c) Homer. Ιλ. ψ. 727. Qu. Smyrnaeus IV, 230. 2 *Cor. IV*, 9. v. Spanh. *ad Iuliani Orat.* p. 262.

d) V. locum Chryſoſtomi a Spanhemio adductum ad *Iulian. Orat.* I. p. 262. Hinc Heſych. ῥῆξαι, καταβαλεῖν, et ῥῆξε, κατέβαλεν.

VI. Qui ter proſtrauerat aduerſarium, palmam ferebat [a]). Vnde τριάξαι et ἀποτριάξαι *vincere*, et ἀποτριαχθῆναι *vinci* [b]). Qui victus erat, voce vel digito ſublato palam hoc fatebatur [c]).

a) Spanh. *ad Iulian. Orat. I.* p. 261. Caſaub. *ad Theocrit.* Schol. ad Aeſchyl. *Eumenid.* v. 592.

b) Suidas. Heſych. et Pollux. Aeſchyl. *Agamemn.* v. 179. Vnde etiam τριακτὴρ victor in luctae certamine. Aeſchyl. *Agamemn.* 180.

c) Vid. Graeuii praeſ. ad VI. Tom. Antiqu. et Lipſii *Saturn. II*, 21. Hinc prouerb. αἶρε δάκτυλον, *tolle digitum* i. e. fatere te victum.

VII. Erat autem duplex Lucta: ὀρθοπάλη, qua ſtantes et erecti luctabantur [a]), et ἀνακλινοπάλη, *volutatoria*, qua humi iacentes luctabantur [b]).

a) Dicitur et ὀρθία πάλη. v. Mercurial. II, 8. De hac antea ſermo fuit.

b) Martial. XIV, 199.

VIII. Ex *pugilatu* et *lucta* conſtabat παγκράτιον.

Ariſtot. *Rhet. I*, 5. §. 36. Nicephorus Schol. *in Syneſ.* p. 426. παγκράτιον σύνθετον ἐκ πυγμῆς καὶ πάλης. Plutarch. *Sympoſ. II.* qu. 4. p. 638. idem teſtatur. Adde Lucian. *de Gymn.* p. 272. τὸ δὲ παίειν ἀλλήλους ὀρθοστάδην, παγκρατιάζειν λέγομεν. Ex Luciani loco patet pancratium compoſitum fuiſſe ἐκ πάλης ὀρθίας καὶ πυγμῆς. Videtur tamen vtrique Luctae generi in pancratio

locus

locus fuiſſe. Potterus aliter ſentit. Plura vide apud Zeibichium *in Athleta* παράδοξος p. 22. ſq. et p. 155. Non eſt ergo idem παγκρατιαστής, qui πένταθλος. Pro eodem tamen multi accipiunt v. c. Caſaub. ad Polyb. Excerpt. Legat. p. 907. vbi παγκρατιαστής vertitur *quinquertio*. De Pancratiaſtis, qui et Pancratiae dicuntur, memorabilis locus Gellii XIII, 27. v. et Plutarch. *Quaeſt. Rom.* II, 4. Quintil. Inſt. Or. II, 9.

CAP. XXII.

DE QVATVOR LVDIS SOLEMNIBVS GRAECIAE, ET PRIMO DE OLYMPICIS.

I. Quatuor erant nobiliſſimi ἀγῶνες Graeciae, ἱεροὶ dicti a), *Olympici*, *Pythii*, *Iſthmii*, *Nemei*, qui omnes loco tantum differebant b).

a) v. Epigramma Archiae *in Anthol.* I, 1. 1. Pollux III, 30. 153. haud dubie eosdem innuit. Pindar. *Nem.* Od. 2. v. 5. Dicuntur et ἱερὰ ἄεθλα. Pindar. *Olymp.* Od. 8. v. 84. et Od. 13. v. 20. Vnde *Hieronicae* dicti, qui in his certaminibus viciſſent. Sueton. *Ner.* c. 24. et 25. Dicuntur certamina illa et στεφανίται ἀγῶνες Lycurg. adu. Leocrat. p. 138. Xenoph. Memorabil. III, 7. p. 129.

b) vid. Scholia graeca et Brodaeus ad Anthol. l. 1. c. 1. epigr. 1. Thomas Magiſter (in Prolegom. ad Pindar.) *de vita Pindari*.

II. *Olympii ludi* habiti ſunt in honorem Iouis Olympii a), ad Olympiam oppidum Elidis b), vnde nomen acceperunt.

a) v. Pindar. *Olymp.* Od. 2. v. 22. ſq. Od. 3. v. 30. ſq. Stephan. in Ὀλυμπία. Lucian. *in Icaromenippo* p. 205.

b) Strabo

b) Strabo VIII. p. 244. Xenoph. *Hiſt. gr. VII.*

III. Origo eorum tribuitur Herculi a), vni ex Idaeis Dactylis b).

a) Plutarch. *in Theſeo* p. II. E. Pindar. *Nem.* Od. XI. v. 34. ſq. Stat. *Theb. VI*, 5.

b) Strabo VIII. p. 245. τῶν μὲν ἕνα τῶν Ἰδαίων Δακτύλων Ἡρακλέα λεγόντων ἀρχηγέτην τούτων. τῶν δὲ κ. τ. λ. *aliis auctorem horum ludorum facientibus Herculem, vnum ex Idaeis Dactylis, aliis autem &c.* Diodor. Sic. V, 64. p. 333. Pauſan. *Eliac. VI.* p. 391 ſq. De his Idaeis Dactylis autem v. Strabo l. X. p. 326. Pollux II, 4. ſegm. 156. Diod. Sic. V, 64. p. 333.

IV. Redibant ſingulis quinquenniis, hoc eſt, menſe quinquageſimo, quinti anni ſecundo a), durabantque per V. dies b).

a) Tzez. *Chiliad. Hiſt. I*, 21. Suid. in Ὀλυμπία.

b) Nam durabant ab XI. ad XV. diem menſis Ἑκατομβαιῶνος. vid. Schmid. ad Pindar. Proleg. in Olymp. p. 8. a.

V. Intermiſſi hi ludi dein ab Iphito inſtaurati ſunt a), a quo numeratur Olympias prima b).

a) Plutarch. *in Lycurg.* ab init. p. 39. Pauſan. *Eliac. prior.* IV. p. 383. et c. VIII. p. 394. Solin. *Polyh.* c. 2.

b) Pauſan. *Eliac. prior.* c. VIII. p. 394. Solin. *Polyh.* c. 2.

VI. Curam horum ludorum habebant *Piſaei* a), aut *Elei* b), vt plurimum vero *Elei* c).

a) Strabo VIII. p. 245. l. 25.

b) Strabo VIII. p. 245. l. 8.

c) Strabo l. c. l. 27. ſq. v. Periz. *ad Aelian. V. H.* X, 1.

VII. Ad ordinem in his ludis ſeruandum erant publici miniſtri, qui coercebant delinquentes. Dicti hi ab Eleis Ἀλύται, qui ipſis erant, vt

vt aliis ῥαβδοῦχοι, *Lictores* a): Quique his praeerat, Ἀλυτάρχης dicebatur b).

a) Etymol. M. in Ἀλυτάρχης.

b) Etymol. M. l. c. Paſchal. de *Coron.* VI, 11. p. 372. Scilicet Alytarches eſt praefectus Alytis, ſeu Maſtigophoris, qui ad ſummouendam turbam et cohibendas ſeditiones in ſacris certaminibus adhibebantur, v. Cuiac. *Obſ. II,* 13.

VIII. Primis temporibus his ludis intereſſe mulieribus non licitum erat a); At dein etiam mulieres iſthic certaſſe, et praemia reportaſſe legimus b).

a) Pauſan. *Eliac. prior.* XXIV. p. 441. Schol. Pind. in prooem. Olymp. 7. Aelian. *V. H.* X, 1. et qui ibi citantur ab interpretibus.

b) Pauſan. *Lacon. VIII.* p. 222.

IX. Qui hic decertare cupiebat, nomenque ſuum dabat a), per decem menſes ante ſe exercere debebat b), per nouem quidem menſes leuioribus laboribus, decimo vero grauioribus et integris certaminibus c).

a) Apud Ἑλλανοδίκας Aelian. *V. H.* X, 1. Ἑλλανοδίκαι autem ſunt οἱ κριταὶ οἱ καθήμενοι εἰς τοὺς ἀγῶνας Heſych. *Iudices certaminum Olympicorum.* v. Zeibichii *Athleta* παράδοξος c. V. §. 5. De his Periz. *ad Aelian. V. H.* IX, 31. et X, 1. conf. Paſchal. *de Coron. VI,* 10. p. 367.

b) Pauſan. *Eliac. prior.* c. XXIV. p. 441. v. Zeibichii *Athleta* παράδοξος VII. §. 1. p. 162. ſq.

c) Epictet. c. XXXV. ibique Vuolfius et Caſaubonus. Adde, quos laudat Paſchal. *de Coron. VI,* 6. p. 354.

X. Nullus flagitioſus homo, neque qui eum contingebat, ad certamen admittebatur a).

a) Xenoph.

a) Xenoph. *de rep. Lacedaem.* Philoſtr. *in Apollon. V.* c. 43. p. 227.

XI. De ordine inter ſe ſortiebantur certaturi hoc modo: in ſitulam argenteam, κάλπιν dictam [a]) immittebantur globuli, quibus ſingulis inſcripta erat litera: quibus eadem obtingebat litera, hi vna certabant. Si certantium numerus impar eſſet, is, qui imparem ſortiebatur globulum, poſtremus cum victore decertabat [b]). Quam ob cauſam dicebatur ἔφεδρος [b]).

a) Latine vas illud etiam *vrnam* vocare poſſis.

b) Omnia haec probari poſſunt ex Luciani *Hermotimo*, p. 535.

c) A Luciano dicitur l. c. ἐφεδρεύειν. Ἔφεδρος vero dicitur ab Ariſtoph. *Ran.* v. 804. Redditur a Gloſſar. *Tertiarius* v. Spanh. *ad Callim.* p. 419. Spanh. *ad Ariſtoph. Ran.* d. l.

XII. Obtinebant autem in Olympicis praeter certamina illa, *Curſum, Pugilatum &c.* etiam *Equeſtria* [a]), et *Curulia* [b]), vt ἵππων κελήτων [c]), ἀπήνης [d]), κάλπης [e]), συνωρίδος [f]) &c.

a) Ἱπποδρομία, vel ἀγὼν ἱπποδρομίας Pauſan. V. c. 8. p. 393. ſq. vbi huius agonis certamen primus Iolaus accepiſſe traditur.

b) Pauſan. *Eliac. prior.* c. VIII. p. 394. vbi curru viciſſe legitur Thebanus Pagondas.

c) Plutarch. *in Alexandro M.* p. 666. A. Sunt autem ἵπποι κέλητες, equi, qui ab vno ſeſſore agitantur et reguntur. conf. Pauſan. *Eliac. prior.* c. VIII. p. 394. Gell. X, 25.

d) Pauſan *Eliac. prior.* c. IX. p. 395. Eſt autem ἀπήνη rhedae vel bigarum genus, quod a mulis trahitur. Vnde Homerus οδ. ζ. v. 72. huiusmodi ἀπήνην vocat ἅμαξαν ἡμιονέην, *currum mulinum.* Vnde ipſum certamen dicitur ἀγώνισμα ἀπήνητον a Polluc. VII, 30. 186. v. tamen Kuhn. et Hemſterhuſ. ad h. l.

e) Pauſan. *Eliac. prior.* IX. p. 395. Pollux VII, 33. ſegm. 186. vbi docet, certamen eorum, qui eſſent clitellarii, vocatum Olympiis fuiſſe κάλπην.

f) Pauſan. *Eliac. prior.* c. VIII. p. 395. Quid ſit συνωρὶς, docet Ariſtoph. Schol. *ad Nub.* v. 15. ſc. *currus, quem biiuges equi trahunt,* ἅρμα ἐκ δυοῖν ἵππων συνεςώς.

XIII. Praeter corporum, etiam ingenii certamina edita, vt *eloquentiae* a), et *poeſeos* b) &c.

a) Iſocrates Panegyricum ſuum, opus annorum decem, in ludis Olympiis dixit. Philoſtr. *vit. Sophiſt. I,* 17. p. 505. Leontinus autem Gorgias in eadem Olympica celebritate eximium eloquentiae ſpecimen dedit, Pauſan. *Eliac. poſter.* XVII. p. 495. Huc ſpectant Sophiſtarum ἐπιδείξεις in Olympiorum ludorum ſolemnitate habitae, vnde eaedem inſcriptae orationes Ὀλυμπικοὶ λόγοι. v. Creſollius III, 6.

b) Apud Aelian. *V. H. II,* 8. Olympiade XCI. Xenocles vincit Euripidem in certamine tragico. Apud Philoſtr. *in Apollon. IV,* 24. p. 163. Nero vicit tragoedos in Olympiis. Sed Apollonius ibid. V, 7. p. 192. tragicum certamen eſſe ab Olympiis ludis plane alienum, videtur innuere.

c) Adde certamina et recitationes *Hiſtoricorum.* Sic Thucydides puer Herodotum hiſtorias ſuas recitantem Olympiae audit. Suid. in Θουκυδίδης.

XIV. Praemium in quouis certamine illic erat corona ex oleaſtro, qui graece κότινος.

Anthol. l. 1. c. 1. epigr. 1. Ariſtoph. *Plut.* v. 586. vbi de diſſenſu eorum, qui ex vna parte ſilueſtris oleae ramis, quique ex altera ἐλαίᾳ καλλιστεφάνῳ Olympionicas fuiſſe comtos dicunt. v. Hemſterhuſ. et quos citat.

XV. Vile huiusmodi praemium electum eſt, vt virtus et gloria potius reſpiceretur, quam lucrum.

Lucian. *de Gymnaſ.* p. 273. vbi haec eſt ſententia Solonis, Graecorum Gymnaſia aduerſum Anacharſida defenderitis.

XVI. Gloria victorum fuit ſumma et immortalis [a]): Statuae iis ponebantur Olympiae in luco Iouis [b]). Quin imo reuertentes in patriam, triumphantes quadrigis inuehebantur in moenia.

a) Cicero *in Tuſc. Qu.* *I*, 46. *II*, 17 et *Orat. pro Flacco* c. 13. teſtatur, Olympionicen eſſe, apud Graecos prope maius et glorioſius fuiſſe, quam Romae triumphaſſe. Lucian. *de Gymnaſ.* p. 273. et p. 274. vbi Solon ait, Olympionicen ἰσόθεον exiſtimari. Conf. Nepos *in praef. Horatius Od. I*, 1. v. 6. et Pindarus de his *Olymp.* Od. I. ſtroph. δ. v. 16. 17.

Ὁ νικῶν λοιπὸν ἀμφὶ βίοτον
Ἔχει μελιτόεσσαν εὐδίαν.

b) De ſtatuis Olympionicarum generatim, et de cura Hellanodicarum circa eas Lucian. pro imaginibus p. 20. De luco vero, qui Ἄλτις dicebatur, in quo ponebantur ſtatuae victorum, v. Schmid. *ad Pindar. Olymp. Od.* X. ſtr. γ. v. 5. p. 271. conf. Pauſan. *Eliac. prior.* X. p. 397.

c) Vitruu. *in praef.* l. IX. *de architectura.* Fuerunt et multa alia Olympionicarum priuilegia, in quibus enumerandis multus eſt Paſchal. *de Coron. VI*, 6. 7. et 8. Ageſilaus tamen apud Plutarch. *in Apophth. Lacon.* p. 212. B. haec certamina eſſe putauit non virtutis, ſed diuitiarum. Conf. p. 236. E.

XVII. Confluebat ad hanc celebritatem non ſolum omnis Graecia [a]), ſed etiam exterae nationes Aegypti, Libyae, Siciliae &c. [b]).

a) v. Lucian. *de Gymn.* p. 274. Diodor. Sic. IV. c. 55. p. 256. Hinc πανήγυρις vocantur hi ludi.

b) Hoc inde patet, quia inter Olympionicas Aegyptii, Cyrenaici, Siculi, &c. reperiuntur, quorum

Ca-

Catalogum inſeruit Chronologiae Diodori Siculi Laur. Rhodomannus: item Chronologicae ſeriei Olympiorum et Pythiorum Eraſm. Schmidius inter Prolegom. ad Pindar. Sic Hiero Rex Syracuſanorum in Sicilia vicit Olymp. LXXIII. equo κέλητι, vt patet ex Pindari *Olymp.* initio. Idem patet ex Pauſan. *Eliac. prior.* 8. p. 394. Inde Olympia dicitur Pindaro πάγκοινος χώρα *in Olymp.* Od. VI. epod. γ. v. 14. v. Palmer. *Exercit. in Auct. Graec.* p. 553. ſq. vel ad Lucian. *Hermotimum* p. 590.

CAP. XXIIII.

DE PYTHIIS.

I. Ludi *Pythii* habiti ſunt in honorem Apollinis Pythii a), ad Delphos b), quae vrbs Πυθὼ etiam dicta c), vnde ludorum nomen.

a) Siue ab Apolline ipſo Ouid. *Met. I,* 445. ſiue a Diomede in honorem Apollinis. Pauſan *Corinth.* c. XXXII. p. 186. Clemens Alex. *in Exhortat. ad Graecos* hos ludos vocat πανήγυριν ὄφεως p. 21. C.

b) Plutarch. περὶ φυγῆς p. 604. C. Demetrius agit Pythia Athenis. Plutarch in Demetr. p. 908. D. Agebantur et aliis in locis. Vid. Spanh. *ad Callim.* p. 318.

c) Pauſan. *Phocic.* c. VI. p. 812. Callim. *hymn. in Apoll.* v 100. vid. Schmid. *Prolegom. in Pindar. Pyth.* et ipſe Pindar. *Olymp.* Od. XII. epod. verſu 8. Fiebant autem certamina in aperta planicie campi Criſaei vel Cirrhaei prope hanc vrbem Delphorum. Pindar. *Pyth.* Od. VI. antiſtr. α. v. 8 9. et Od. X. epod. α. v. 3. 4. conf. Spanhem. *ad Callim. h. in Delum* v. 178. p. 437.

II. Primis temporibus celebrabantur ſingulis nouenniis a), vnde illa periodus ἐννεαετηρὶς dicta, quod octo integris annis elapſis, currente nono agitabantur.

a) Plutarch. *Quaeſt. Graec.* p. 293. B. C. Schmid. *in Prol. ad Pindar. Pyth.* p. 4.

III. Poſtea vero quinto qvoque anno celebrabantur, quae periodus πενταετηρὶς dicta a). Sic renouati ſunt ludi ab Amphyctionibus b), poſtquam aliquamdiu fuerant intermiſſi.

a) Schmid. *in Proleg. ad Pyth. Pindari* p. 4. ſq.

b) Pauſan. *Eliac. poſter.* XIV. Strabo IX. p. 290. et 288. Ceterum Amphictyones dicuntur commune Graeciae concilium Cicer. *de Inuent. II,* 23. quibus praecipuum fuit rerum omnium iudicium Tacit. *A. IV.* 14. Dicitur a Liuio XXXIII, 5. conuentus Pylaicus. Plura de his Strabo IX. p. 289. et Harpocration in hac voce. De quo concilio ex inſtituto agit Anton. van Dale *Diſſ. VI.* Conf. et Schmidius *in Prolegom. ad Pyth. Pindari.* Pauſan. *Phocic. VIII.* p. 815.

IV. Inſtitutae ab iisdem Amphictyonibus praeter κιθαρῳδίας, quae antiquitus etiam in vſu fuerant, αὐλῳδίαι.

Strabo IX. p. 290. Pauſan. *Phocic. VII.* p. 813. Plutarch. *Sympoſ. V.* probl. 2. p. 674. ſq. Schmid. *in Proleg. ad Pythionicas Pindari* p. 7.

V. Habuere quoque νόμον Πυθικὸν a), in memoriam pugnae Apollinis cum Pythone b), cuius νόμȣ quinque partes recenſentur: Ἀνάκρȣσις, Ἄμπειρα, Κατακελευσμὸς, Ἴαμβοι καὶ Δάκτυλοι et Συριγμός c). Ab aliis vero ſex partes recenſentur: Πεῖρος, Ἴαμβος, Δάκτυλος, Κρητικὸς, Μητρῷος, Σύριγμα d).

a) i. e. *modum Pythicum.*

b) Strabo

b) Strabo IX. p. 290. et Pollux IV, 10. 84.

c) Has nomi Pythii partes enumerat Strabo IX. p. 290. nisi quod pro Συριγμὸς apud eum legitur σύριγγες. Explicatio vocum additur a Strabone. Hoc omne negotium fuit nihil aliud, nisi interpretamentum eius pugnae, quam Apollo instituit aduersus Draconem.

d) Ita enumerantur nomi Pythii partes a veteri Grammatico in ὑποθέσει Πυθίων, Pindari Pythiis praemissa. A Strabone et hoc Grammatico discedit Pollux *l. c.* Quomodo ad has nomi Pythii partes alluserit Ouid. *Met. I*, 438. ostendit Franc. Luisinus *Parerg. II.* c. XI.

VI. Adhibebant aliquando ad citharae cantum etiam *saltationem* in V. partes distributam, quae vocantur Πεῖρα, Κατακελευσμὸς, Ἰαμβικὸς, Σπονδεῖος, Καταχόρευσις.

Pollux IV, 10. 84. vocat τοῦ Πυθικοῦ νόμου τοῦ αὐλητικοῦ μέρη πέντε, *Pythii modi, qui tibia canitur, partes quinque*, nulla mentione facta saltationis ad citharam. Forsan de saltatione nemo testis praeter I. C. Scaliger. *Poetices I*, 23. Saltatum quidem fuisse ad tibiae cantum, ex verbis Pollucis patet; sed quinque illae partes ab Auctore nostro hoc loco positae cantus potius esse, quam saltationis videntur.

VII. Vsitata in Pythiis fuere omnia certamina Gymnica, quae in Olympicis [a]). Equestria et Curulia quoque inducta sunt [b]). Ingenii quoque certamina fuisse videntur [c]).

a) Pausan. *Phocic.* c. VII. p. 814. Schol. Pind. *in Proleg. ad Pythia.*

b) Pausan. l. c. Scholia Pindari *in Proleg. ad Pythia.*

c) Colligitur ex Plutarch. *Sympos. V.* probl. 2. p. 674. item ex Plinio VII, 37. vbi *Grammatica enituisse Apollodorum*, testatur, *cui Amphictyones Graeciae honorem habuerint.*

 VIII. Quod

VIII. Quod ad tempus anni attinet, quo hi ludi celebrati ſunt, fuit dies ſextus menſis Βυσίȣ dicti apud Delphos a), Θαργηλιῶνος apud Athenienſes, qui partim Aprili, partim Maio reſpondet.

a) Schmid. *Prol. ad Pythia* p. 12. conf. Plutarch. *Sympoſ. VIII*, 1. p. 717. et *Quaeſt. Gr.* p. 292.

IX. Praemium in his ludis primitus, quando Muſicum certamen tantum obtinebat, dicitur fuiſſe ex auro vel argento a). Quod poſtea, quum Gymnica certamina acceſſerunt, mutatum in ſertum vel coronam ex lauro b), vel palma c), vel eſculo d), aut denique in poma e).

a) Hoc non liquidum ita videtur, vt nulli dubitationi locus ſit. Schmidius quidem id *in Proleg. ad Pythia* p. 9. affirmat, ſed non probat. Paſchal. *de Coron. VI*, 25. p. 431. ad duo loca Pindari prouocat, quibus coronae Pythicae vocantur *fulgidae* Od. II. ſtr. α. v. 10. et Od. III. ſtr. α. v. 8. ſed nec haec ſatisfaciunt. Pauſan. *Phocic. VII.* p. 814. ita: Δευτέρᾳ δὲ Πυθιάδι ȣ̓κ ἐπὶ ἄθλοις ἐκάλεσαν ἔτι ἀγωνίζεσθαι, ϛεφανίτην δὲ τὸν ἀγῶνα ἀπὸ τȣ́τȣ κατεϛήσαντο, *altera Pythiade, ſummotis praemiis, coronarum tantum vt eſſet certamen, ſtatuerunt.* Paullo poſt mentio fit tripodis aenei, quem Echembrotus ſe ludis Amphictyonum meruiſſe teſtatur.

b) Pauſan. *l. c. VII.* ſub fin. 815. Aelian. *V. H. III*, 1. ſub fin.

c) Plutarch. *Sympoſ. VIII.* probl. 4. p. 723. ſq. Huc pertinet Libanius ſophiſta *in laudatione palmae et pomi arboris*, a Palmerio citatus ad Lucian. *de Gymnaſ.* p. 272. *in Exercitat.* autem p. 549.

d) Ouid. *Met. I*, 449. vid. Periz. *ad Aelian. V. H. III*, 1. vbi pugnantes Ouidii Aelianique ſententiae conciliantur.

e) Lucian. *de Gymnaſ.* p. 272. et Palmerius ad h. l.

CAP.



CAP. XXIV.

DE NEMEIS.

I. *Nemei* Ludi nomen sortiti sunt a Nemea a) oppido et luco Argiae b) inter Cleonas et Phliuntem c).

a) Pausan. *Corinth. XV.* p. 144. Scholiast. ad Pindari *Nemea* in Proleg.

b) Strabo VIII. p. 260.

c) Strabo *l. c.* et Plin. VI, 6.

II. Fuerunt τριετηρικοὶ i. e. tertio quoque anno celebrabantur a), die XII. mensis, qui Corinthiis Πάνεμος b), Atheniensibus Boedromion c).

a) Hoc probat Schmid. *in Proleg. ad Nemea* p. 4. 5. et Schol. in secunda hypothesi Nem.

b) Scholiastes Pindari in quarta hypothesi Nemeorum: καὶ ἔστι τριετής. τελούμενος μηνὶ Πανέμω, δωδεκάτῃ. Idem legitur in quinta hypothesi.

c) Mensem Πάνεμον Atheniensium Boedromioni respondisse, liquidum est ex Philippi regis epistola ad socios apud Demosth. de *Corona*. Sed quum Βοηδρομιὼν respondeat Augusto, (v. Ant. van Dale *Diss. VIII. Antiqu.* p. 595.) Pausanias autem *Corinth. XV.* p. 144. Nemeorum panegyrin hieme celebrari dicat: de tota hac re, si tanti videbitur, amplius dispiciendum.

III. In his ludis funebria exhibebantur iusta a) in memoriam Opheltae b), qui et Archemorus dictus c), cui primitus dicati fuere. Sed Hercules dein pro Archemoro dicauit eos Ioui Nemeaeo d).

a) Hinc dicitur ἀγὼν ἐπιτάφιος ab Schol. Pindari in Proleg.

b) Apollod. III, 6. §. 4. p. 175. Dissentit ab hoc Aelianus *V. H. IV*, 5. de quo dissensu Periz. *in not.*

c) Post-

c) Postquam misere periit, vocatus est Archemorus, ὅτι αὐτοῖς (sc. septem illis ducibus contra Thebas) ἀρχὴ μόρου ἐγένετο ὁ τοῦ παιδὸς θάνατος, *quod ipsis omen et principium infelicis sui fati fuerit pueri Opheltae mors.* vid. Schol. ad Pind. in argumentis Nemeorum.

d) Ioui Nemeaeo hos ludos dicatos fuisse, patet ex Pind *Nem.* Od. III. str. δ. v. 4. et Schol. ad h. l. Sed Herculem Nemeo leone occiso multa in his ludis mutasse, eosque Ioui consecrasse, testatur Schol. Pind. *ad Nem.* hypoth. 5.

IV. Obtinuerunt in his etiam quaeuis certamina *gymnica* et *equestria.*

Pauſ. *Eliac. poster.* XVI. p. 491. 491. item *Corinth. XV.* p. 144. Schol. *ad Nem.* Pind. hypoth. 2. Pindarus ipse nominat coronam pancratii in *Nem.* Od. V. str. α. v. 9.

V. Praesides horum ludorum fuere electi ex Corintho, Argis et Cleonis.

Schol. Pind. in hypoth. 3. *ad Nem.*

VI. Praemium initio fuit corona ex *olea* [a]), dein ex *apio viridi* [b]).

a) Schol. Pind. *l. c.*

b) Praeter Schol. *l. c.* vid. Pausan. *Arcad.* c. 48. p. 697. Lucian. *de Gymn.* 272. Plin. XIX, 18. De apio viridi vid. Schol. ad Pind. Isthmia. Od. II. epod. α. v. 7. In causas, cur apio coronati fuerint Nemeonicae, inquirit Paschal. *de Coron. VI,* 26. p. 435.

CAP. XXV.

DE ISTHMICIS.

I. Ludi *Isthmici* celebrati sunt in Isthmo Corinthiaco, vnde nomen habent, ad templum Neptuni Isthmii, pinuum luco opacum.

Strabo VIII. p. 262. Pauſan. *Corinth. I. II.* p. 111. ſq.

II. Inſtituti in honorem *Palaemonis* aut *Melicertae* a); deinceps quum aliquamdiu eſſent intermiſſi, a Theſeo fuerunt inſtaurati, ampliati, et Neptuno dicati b).

a) Pauſan *Attic.* c. XLIV. p. 108. Schol. Ariſtoph. ad *Veſp.* p. 1404. Ouid. *Met. IV,* 531. ſq.

b) Plutarch. *in Theſeo* p. 11. conf. Schol. Ariſtoph. ad *Equ.* v. 606.

III. Ab his ludis ſoli Elei ex omnibus Graeciae nationibus arcebantur.

Pauſan. *Eliac. II. III.* p. 458. et XLVI. p. 491. Cauſa traditur ab eodem *Eliac. I. II.* p. 378.

IV. Fuerunt hi ludi τριετηρικοὶ h. e. tertio quoque anno celebrabantur a), licet alii quinto b) aut quarto anno agitatos velint.

a) Pind. *Nem.* Od. VI. epod. β. v. 6. cui adde Scholia ad h. l.

b) Plin. IV, 5. Solin. c. 13. Auſon. *Idyll.* 25. Paſchal. *de Coron. VI,* 27. ſingulis annis Iſthmia celebrata fuiſſe, ex loco Xenophontis conſtare putat, qui legitur *Hiſt. Gr. IV.* p. m. 410. ſed ratio doctum virum fugere, mihi quidem videtur.

V. Certamina in iis vſitata omnis generis, vt in aliis ludis ſacris.

Hoc apparet ex verbis Diogenis apud Dionem Chryſoſtomum *de Iſthm.* Orat. 9. *Ego multos vici praeclaros antagoniſtas, non cuiusmodi ſunt iſta mancipia, quae hic* (h. e. in ludis Iſthmicis) *quidem lucta, diſco, curſu vincunt, ſed longe acriores, paupertatem &c.*

VI. Praemium dabatur primo corona ex *pinu* a), dein ex *apio arido* b), poſtea rurſus ex *pinu* c).

Pauſan.

a) Pausan. *Arcad. XLVIII.* p. 697. Lucian. *de Gymn.* p. 272. Plin. XV, 10.

b) Pind. *Olymp.* Od. XIII. antistr. β. v. 1. Hinc *apia vocat Corinthia in Nem.* Od. IV. antistr. δ. v. 13. De *apio arido* testis Schol. ad Pind. *Isthm.* Od. 2. epod. α. v. 7. Laur. Begerus *in examine dubiorum quorumdam* p. 9. Diod. Sic. XVI. 80. p. 470. Schmid. *in Comment. ad Pind. Olymp.* p. 312.

c) Plutarch. *Sympos. V.* probl. 3. p. 676.

VII. Praesides eorum fuere Corinthii primum, postea Sicyonii.

Pausan. *Corinth.* c. 2. p. 114.

VIII. Dignitas eorum tum propter religionem a), tum propter antiquitatem b) fuit maxima c).

a) Nam sacra erant Neptuno, vt ex superioribus patet.

b) Scholiastes quidem Pindari in Proleg. *Pythiorum* Isthmios facit Pythiis multis annis recentiores; Sed contrarium euincit Schmidius *in Proleg. in Isthmionicas* p. 4. sqq.

c) Aliam celebritatis horum ludorum causam vide apud Liu. XXXIII, 32. Dignitas eorum manifesta quoque ex eo, quod ne excisa quidem a Mummio Corintho intermissi fuerint. Pausan. *Corinth. II.* p. 114.



CAP. XXVI.

DE TEMPORE.

I. Quoniam in *sacris*, quae descripsi, aliquando mentio fit *mensium* et *dierum* a), in quos inciderint dies *festi*, vel *ludi* sacri &c. verbum addam de *tempore*, antequam ad *Ciuilia* transeam.

a) vid.

a) Vide supra c. XXIV. §. 2. c. XXIII. §. 8.

II. Diuiditur tempus in *Annum*, *Menses*, *Dies*. Vid. de hac diuisione lepidum aenigma Cleobulinae ap. Diog. Laert. I. in vita Cleobuli, sect. 91.

III. Ab Atheniensibus inchoabatur annus vetus post hibernum solstitium a); recentior a nouilunio proxime sequente solstitium aestiuum b).

a) Vid. Scalig. *Canon Isagog. III.* p. 224. scilicet Γαμηλιὼν mensis, qui respondet Decembri Romanorum, erat ante Metonem caput mensis Attici; vid. Fabricii *Menolog.* p. 50. sq.

b) Plato *de Legg. VI.* vbi annus incipere dicitur ab ea neomenia, quae proxime θερινὰς τροπὰς sequitur. conf. Scalig. *Canon. Isagog. III.* p. 224. Salmas. *Exercit. Plin.* p. 315. sq.

IV. Menses duodecim, qui alternatim complectebantur triginta et viginti nouem dies: praecedebant tamen semper menses triginta dierum a). Qui erant triginta dierum, dicebantur πλήρεις et δεκαφθινοὶ, reliqui vero κοῖλοι, et ἐναφθινοί b).

a) Vid. Theod. Gaza περὶ Μηνῶν in capite περὶ Ἑρμηνείας τῶν Μηνῶν. p. m. 115.

b) Vid. Gaza l. c. in capite πῶς ἀριθμητέον τὰς τοῦ μηνὸς ἡμέρας p. m. 136. conf. Gyraldus *de Annis et Mensibus* p. 585. Plenorum et cauorum mensium prope eodem hoc significatu mentio fit a Censorino *de die natali* c. XX.

V. Nomina haec sunt:

1. Ἑκατομβαιὼν, mensis πλήρης et δεκαφθινὸς, incipiens a prima luna post aestiuum solstitium a), respondens partim Iunio, partim Iulio, sic dictus ab hecatombis, quae tunc offerebantur b).

a) Post

a) Post τροπὰς θερινάς. Vid. Salmas. *Exerc. Plin.* p. 315. Scalig. *de Emend. Tempp. I.* p. 28. sqq.
b) Harpocration *in* Ἑκατομβαιών.

2. Μεταγειτνιὼν, mensis κοῖλος, ἐναφθινὸς, sic dictus a Μεταγειτνίοις, sacris Apollinis tunc celebratis.

Harpocrat. in Μεταγειτνιών. Plutarch. *de Exilio* p. 601. B.

3. Βοηδρομιὼν, mensis πλήρης, dictus a Boedromiorum festo.

Harpocrat. in Βοηδρόμια. Plutarch. *in Theseo.* p. 12. F.

4. Μαιμακτηριών.

Vid. Harpocrat. in hac voce. Vbi a Ioue Maemacte i. e. *impetuoso* dictum scribit, quia sc. mensis pluuius est. Harpocration quintum mensem facit, Gaza quartum.

5. Πυανεψιών.

Harpocrat. in Πυανοψίαι.

6. Ἀνθεστηριών.

Harpocration hunc octauum mensem facit, et vnde dictus sit, docet in hac voce. Auctor noster Gazam sequitur. Harpocrationi assentitur Petauius et alii.

7. Ποσειδεών.

Secundum Gazam hic septimus; sed secundum Harpocrationem, quem Petauius et Scaliger sequuntur, sextus est.

8. Γαμηλιών.

Ita dictus a Gemeliis, h. e. *sacris Iunonis nuptiarum praesidis*. Vid. Hesych. in hac voce.

9. Ἐλαφηβολιών.

Ab Elaphebolis, die festo hoc mense celebrato, vid. Gyraldus *de Mensibus*. p. 575.

10. Μου-

10. Μουνυχιών.
A Munichiis Dianae ſacris. Vid. Harpocrat. in hac voce.

11. Θαργηλιών.
Vid. Harpocrat. in Θαργήλια. Periz. *ad Aelian.* II, 25.

12. Σκιροφοριών.
Vid. Harpocrat. in voce Σκίρον.

VI. Menſem diuidebant in *tres decadas* [a]), quarum primam vocabant μηνὸς ἱσαμένου [b]) vel ἀρχομένου, ſecundam μηνὸς μεσοῦντος, tertiam φθίνοντος [c]).

Primae Decadis
primam diem vocabant νεομηνίαν [d]).
ſecundam δευτέραν ἱσαμένου.
tertiam τρίτην ἱσαμένου &c.

Secundae Decadis
primam πρώτην μεσοῦντος [e]), vel πρώτην ἐπὶ δέκα [f]).
ſecundam δευτέραν μεσοῦντος, vel δευτέραν ἐπὶ δέκα.
tertiam τρίτην μεσοῦντος, vel τρίτην ἐπὶ δέκα.

Tertiae Decadis
primam πρώτην ἐπ' εἰκάδι [g]).
ſecundam δευτέραν ἐπ' εἰκάδι.
tertiam τρίτην ἐπ' εἰκάδι.

Vel etiam retro numerabant cum voce φθίνοντος, ſiue παυομένου, ſiue λήγοντος, hoc modo:
φθίνοντος δεκάτη [h]),
φθίνοντος ἐννάτη,
φθίνοντος ὀγδόη.

Et ſic in reliquis vsque ad vltimam diem, quae ex Solonis inſtituto ἕνη καὶ νέα, *vetus* ac *noua* [i]) dicebatur, quia altera pars diei ad veterem, altera ad nouam lunam pertinebat. Sed poſt Demetrii Poliorcetae tempora Δημητριὰς ab eo appellata [k]).

a) Vid. Pollux I, 7. 63. Theod. Gaza περὶ Μηνῶν p. 134. ſq. Periz. *ad Aelian. V. H. II*, 25. Kuſt. *ad Ariſtoph. Nub.* v. 1129.

b) Ἵστασθαι hic valet *exoriri*. Sic Homer. Ὀδυσσ. ξ. v. 162.

c) Vide Scriptores citatos *l. c.*

d) Schol. Ariſtoph. *ad Nub.* v. 1132. τὴν νουμηνίαν dictam eſſe putat ἕνην καὶ νέαν. Sed male. Vid. Spanh. ad h. l.

e) Pollux *l. c.*

f) Schol. Ariſtoph. *ad Nub.* v. 1129.

g) Pollux *l. c.*

h) Schol. Ariſtoph. *l. c.*

i) Plutarch. *in Solone* p. 92. C. Diog. Laert. I, 57.

k) Plutarch. *in Demetrio* p. 894. B. Schol. Ariſtoph. *ad Nub.* v. 1129.



PARS

PARS SECVNDA.
DE CIVILIBVS.

CAP. I.
DE REGIO IMPERIO.

I. Principio pleraeque Graeciae ciuitates sub Regibus fuerunt [a]), qui a populo electi [b]), vt controuersias iudicarent [c]), et secundum certas leges ipsis praescriptas potestatem suam exercerent [d]), in bellis praeirent [e]), et sacra curarent [f]).

a) Aristot. *Polit. I*, 2. Dionys. Hal. *Archaeol. V.* p. 336. l. 46. Pausan. *Boeot. I.* p. 712.

b) Aristot. *Polit. III*, 14. Thucyd. I, 9. Atreus dicitur regno Mycenarum potitus βȣλομένων τῶν Μυκηναίων.

c) Inde Homerus reges vocat δικασπόλȣς, Ιλ. α. v. 238. item alibi θεμιςοπόλȣς i. e. *legibus et reddendis iuribus occupatos*: vid. Spanh. *ad Callim.* v. 3. praecipue vero Dionys. Halic. *Archaeol. V.* p. 337. Hesiod. Θ. 85. et Clericus ad h. l.

d) Thucyd. I, 13. fuisse regna tradit olim ἐπὶ ῥητοῖς γέρασιν i. e. *certis quibusdam iuribus ac honoribus definita ac descripta*, vt explicat Lamb. Bos *Obs. Crit.* c. III. conf. Dionys. Halic. *Archaeol. V.* p. 337. Spanh. *ad Iulian. Orat. I.* p. 127. seq. Periz. *ad Aelian. V. H. II*, 20.

e) Aristot. *Polit.* III. 14.

f) Aristot. *l. c.* Hinc regia potestate remota in multis Graeciae ciuitatibus permanserunt βασιλῆς ἱερῶν. Demosth. *in Neaeram* p. 873. C.

II. Regna

II. Regna illa a patribus deuoluebantur ad filios.

Thucyd. l. I. c. 13. vocat βασιλείας πατρικάς, i. e. vt Schol. habent, ἀπὸ τῶν πατέρων παραλαμβανομένας κατὰ διαδοχὴν γένους. conf. Ariſtot. *Polit. III*, 14.

III. Non tamen ſemper ſuccedebat filius patri, quum ſcilicet propter ſcelera filius inuiſus eſſet populo a), vel cum Oraculum alium iuberet creari regem b).

a) Exemplo ſunt filii Temeni, qui propter commiſſum parricidium ſucceſſione regni paterni exciderunt apud Apollod. II, 8. §. 5. p. 145.

b) Euſtath. ad οδ. γ. v. 215. p. 122. ſq.

IV. Ceterum Regibus reuerentia pene diuina fuit exhibita a), quippe quibus a Ioue regnum dari credebatur b).

a) Ab Homero dicuntur ἀγχίθεοι, Διογενεῖς, Διὶ φίλοι, Διοτρεφεῖς, imo Θεοί. Vid. Homer. Ιλ. κ. 33. Heſ. Θ. 80 ſqq.

b) Homer. Ιλ. α. 279. β. 205. ι. 98. Callim. *h. in Iou.* v. 79. et Spanh *ad h. l.*

V. Inter inſignia maieſtatis regiae praecipue fuit σκῆπτρον a), alio nomine ῥάβδος b), poetis etiam δόρυ c). Antiquitus fuit ex ramo arboris d). Cuiusmodi ligneo ſceptro claui aurei infigebantur aliquando e). In ſummo ſceptri efficta erat aquila, ad exemplum Iouis, cui dicata aquila f). Aliae aliquando iis quoque inſculptae figurae g).

a) Euſtath. ad Ιλ α. v. 15. p. 19. l. 15. Σημεῖον δὲ βασιλείας, καὶ λόγων καὶ δίκης κατὰ τοὺς παλαιοὺς τὸ σκῆπτρον ἦν. Inde Reges ſaepe σκηπτοῦχοι e. g. Homer. Ιλ. α. 279.

b) *Sceptrum* Etymologicum interpretatur βασιλικὴν ῥάβδον.

c) Pau-

c) Pauſan Boeot. c. XL. p. 795. Eurip. *Hecub.* v. 9. *Hippol.* 975. vid. Iuſtin. XLIII, 3.
d) Homer. Ιλ. α 235. Virg. *Aen.* XII, 210.
e) Homer. Ιλ. α. 246.
f) Ariſtoph. *Au* v. 510. et hic Schol.
g) Vid. Schol. Ariſtoph. *ad Au.* v. 1354.

CAP. II.

DE ATHENIENSIVM REPVBLICA SVB REGIBVS.

I. Forma Reip. Atticae ſaepe mutata eſt: modo regiminis forma fuit *Regium*, modo *Tyrannis*, modo *Ariſtocratia*, modo *Democratia*.
Vid. *Aelian. V. H.* V. c. 13. Strabo IX. p. 874.

II. Primo fuit *Regnum*, primusque Rex *Cecrops* Aegyptius a). Dicitur quidem *Ogyges* primus et antiquiſſimus rex Atticae b); ſed a Cecrope initium ſumit Hiſtoria et Chronologia Athenienſium c).

a) Marmora Oxonienſ. ab init. n. 2. Appollod. III, 13. p. 221. qui Cecropem quidem vocat αὐτόχθονα; ſed Thom. Gale ad h. l. p. 85. probat fuiſſe Aegyptium. Vid. Euſeb. *Chronic.* p. 26.
b) Ogygem Atticae regem faciunt Euſebius *in Chron.* p. 24. ſq. Cedrenus et Paulus Oroſius, quorum locos adfert Ioſ. Scaliger *ad Euſeb.* p. 20. Sed Thebarum, non Atticae regem fuiſſe, Pauſan. *Boeot.* c. V. p. 719. Varro de *R. R. III*, 1. et alii tradunt. Poetae igitur *Ogygium* dicunt 1) quidquid Thebanum 2) quidquid antiquum eſt. Vid. Barth. *ad Stat. Theb. V.* v. 518. p. 251. Burmannus *ad Ouid. Met. III*, 713. Adde Spanhem. *ad Callim.* p. 8.

c) Marmora Oxoniensia ab eo incipiunt: item Eusebius. Itaque Socrates *apud Xenoph. Memorab. III*, 5. §. 9. sqq. ad antiquissimos Atheniensium maiores prouocaturus prouocat ad Cecropem.

III. Post hunc XVI. alii Reges fuerunt Athenis [a]), e quibus *Erechtheus* sextus post Cecropem celebris admodum fuit [b]); et *Theseus* decimus post Cecropem, ob ampliatam vrbem secundus Athenarum Conditor est appellatus; hic enim populum antea per vicos et oppida dispersum in vnam vrbem contraxit [c]).

a) Nomina illorum leguntur in Marmor. Oxon. n. 2. sqq. sed plenius apud Euseb. *in Chron.*

b) Celebris potissimum ob duo: 1) quia Cererem hospitio excepit. Steph. in Ἐρεχθία. 2) Quia eo regnante fruges repertae. Plura, quibus celebris fieri potuit, enumerat Diod. Sic. I, 49. p. 25. et Periz. *ad Aelian. V. H. V*, 13. Adde Iustin. II. 6. Cic. *pro Sext.* c. XXI, et alibi. Cel. Ernesti ad Xenoph. Ἀπομν. III, 5. §. 10. editionis posterioris.

c) Thucyd. II, 15. Diod. Sic. IV, p. 264. Strabo IX. p. 275. Plutarch. *in Theseo* p. 1. et 10. sq. Cic. *de Legg. II*, 2. Valer. Max. V, 3. *extern.* 3.

IV. Populum omnem in tres classes distinxit, in Ἐυπατρίδας, Γεωμόρους, et Δημιουργούς.

Vid. Plutarch. *in Theseo* p. 11. C. D.

V. Videtur Theseus ita diuisisse populum ad formam Reip. Aegyptiacae, vbi pariter in tres classes distinctus erat populus.

Diodor. Sic. I, 28. p. 25.

VI. Septimus decimus siue vltimus Atheniensium Rex fuit Codrus [a]), Melanthi filius [b]), qui bello Doriensi se deuouit pro salute reip. [c]).

a) Vellei. Paterc. I, 2. Iustin. II, 1.

b) Pau-

b) Pauſan. *Attic. XIX.* p. 45. Conon. *Narrat.* 39.
c) Euſeb. *Chron.* p. 33. Pauſan. *Achaic.* 25. p. 588. Iuſtin. II, 6. Valer. Max. V, 6. 1. *extern.* Polyaen. I, 18. p. 36. ſq.

** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** **

CAP. III.

DE ATHENIENSIVM REP. SVB ARCHONTIBVS.

I. Poſt Codrum nemo Athenis regnauit [a]. Viſum fuit Athenienſibus in poſterum pro Regibus, *Archontes perpetuos* creare [b].

a) Vellei. Paterc. I, 2. Iuſtin. II, 6.
b) Euſeb. *in Chron.* p. 33. vocat ἄρχοντας διὰ βίȣ. Vellei. Paterc. I, 2. 4. *archontes perpetuos.* Horum primus Medon. A quo reliqui Medontidae dicti. Vellei. Paterc. I, 2. 4.

II. Non abſoluta illis et regia fuit poteſtas, ſed fuere ὑπεύθυνοι.

i. e. *non ſoluti legibus, rationi reddendae obnoxii.* Pauſan. *Meſſen. V.* p. 292.

III. Quia vero exigua erat differentia inter *Reges* illos primos, et *Archontes perpetuos*, quoniam vnus magiſtratum gerebat per totam vitam, hinc aliquando illi Ἄρχοντες appellantur Βασιλεῖς, et βασιλεύειν dicuntur.

Vid. Perizon. *ad Aelian. V. H. V,* 13.

IV. Fuere autem Archontes huiusmodi perpetui numero XIII. [a], quorum primus fuit Medon Codri F., vnde familia Medontidarum [b]: vltimus Alcmaeon Aeſchyli F. [c], durauitque haec

haec regiminis forma per ſpatium annorum 315 [d]).

a) Nomina eorum leguntur apud Euſeb. *in Chron.* p. 33. ſq.

b) Pauſan. *Meſſen.* c. V. p. 292.

c) Euſeb. *Chron.* p. 39. Vellei. Paterc. I, 8.

d) Scalig. *Canon Iſagog. II*, 2. p. 160.

V. Defuncto Alcmaeone, principatus *perpetuus* mutatus eſt in *decennalem*.

In ἀρχόντων δεκαετίαν, vt loquitur Dionyſ. Halic. *Archaeol. I.* p. 68. vid. Euſeb. *Chron. I.* p. 39. Vellei. Paterc. I, 8.

VI. Huiusmodi Archontes decennales fuere VII. quorum primus fuit *Charops* [a]), vltimus *Eryxias* [b]).

a) Euſeb. *l. c.* Χάροψ, πρῶτος Ἄρχων δεκαετής. Vellei. Paterc. *l. c.*

b) Euſeb. *Chron.* lib. I. p. 39. et Anonymus ibid. p. 318. Ἐρυξίας ἔσχατος Μεδοντιδῶν. Vellei. Paterc. I, 8.

VII. Quo remoto ob delictum [a]), rurſus mutata reip. forma eſt, et ſumma res demandata IX. Archontibus, qui non *perpetuum*, nec *decennale*, ſed *annuum* tantum haberent imperium [b]), qui ſuffragiis deſignarentur ex iis, qui generis antiquitate, opibus et gratia in ciuitate maxime florebant [c]).

a) Vtrum ob delictum remotus, an vero mortuus fuerit, videtur incertum. Meurſ. *de Archont. Athen. VIII.* p. 21.

b) Ἐνιαυσίαν ἀρχήν. Pauſan. *Eliac. poſter.* XIX. p. 500. Alibi *in Meſſen.* c. XV. p. 315. huius generis magiſtratus Pauſaniae dicuntur κατ' ἐνιαυτὸν ἄρχοντες. Conf. Vellei. Pat. I, 8. Africanus apud Euſeb. I. *Chron.* p. 39. cum emendatione Scaligeri. p. 74.

c) Euſeb.

c) Euseb. *Chron.* p. m. 155. ἐξ Εὐπατριδῶν. Non semper tamen e nobilibus electos fuisse putat Scaliger in *Animadu.* p. 74. contra quem vide disputantem Perizonium *ad Aelian. V. H. V,* 13.

VIII. Hi IX. Archontes et nominibus et muneribus fuerunt distincti.

Primus eorum proprie Ἄρχων tamquam *princeps* et praeses collegii vocabatur a), et ab eo anni numerabantur, ac in fastis notabantur b).

Secundus vocabatur Βασιλεύς c).

Tertius Πολέμαρχος d).

Sex reliqui Θεσμοθέται e).

a) Philo περὶ Ἀβραὰμ p. 351. B. edit. Francofurt. a. 1691. per Gelenium: καὶ Ἄρχων Ἀθήνησιν ὁ ἐπώνυμος, καὶ τῶν ἐννέα Ἀρχόντων ἄριστος.

b) Ideo Ἐπώνυμος dicitur, vel τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐπώνυμος Ἄρχων Pollux VIII, 9. 85. Latine *anni signator* dici potest cum Seldeno *ad Marmora Arundel.*

c) d) e) Pollux VIII, 9. 85. Cur Nouem Ἄρχοντες his signati sint nominibus, lege apud Sigon. *de rep. Athen. I,* 5. p. 481. De hoc loco *Aelian. V. H. V,* 13. qui decem admittere Archontes videtur. Vid. Perizon. ad h. l. et Baumgartenium *ad Historiam Vniuers. ex Anglico in Germanicum conuersam* T. V. p. 149.

IX. *Munus Archontis* erat:

1. Sacra quaedam curare, vt Bacchanalia &c. a)
2. Lites inter propinquos cognoscere b).
3. Pupillos curare, iisque tutores dare c).

a) Pollux VIII, 9. 89.

b) e. g. Lites inter maritos et vxores. Plutarch. *in Alcibiade* p. 195. C.

c) Demosth. *in Macartatum* p. 660. A. et Pollux loco citato.

X. *Munus*

X. *Munus Regis* erat:

1. Sacra quaedam curare, vt Eleusinia &c. a).
2. Causas quasdam cognoscere, vt si qui alios impietatis accusarent, aut de sacerdotio contenderent b).

a) Pollux VIII, 9. 90. Harpocrat. in Ἐπιμελητὴς τῶν Μυστηρίων.

b) Pollux *l. c.*

XI. *Munus Polemarchi* erat:

1. Sacra quaedam, vt Dianae et Martis, curare a).
2. Bellum curare, vnde illi nomen b).
3. Inter peregrinos ius dicere, vt Archon inter ciues c).

a) Pollux VIII, 9. 91.

b) Pollux l. c. hoc modo tradit, Polemarchi fuisse, vt ludos funebres instituerет in honorem eorum, qui bello ceciderant. Vid. Meurs. *Lect. Attic. II*, 14.

c) Schol. Aristoph. *ad Vesp.* v. 1037.

XII. *Munus Thesmothetarum* erat:

1. Iura custodire, leges vindicare, vnde illis nomen a).
2. Causas quasdam cognoscere, vt de calumniis, donis acceptis, adulterio, contumelia &c. Causas vero grauiores ad maiora dicasteria referebant b).

a) Harpocrat. in Θεσμοθέται. Schol. Aristoph. *ad* Ἐκκλησ. v. 290.

b) Pollux VIII, 9. segm. 87. et 88.

XIII. Nouemuiri hi alii aliis in locis ius dixerunt a); sed coniuncti habuere ius conuocandi populum b).

a) e. g.

a) e. g. in *Odeo* forum habuiſſe Archontem probat Sigon. *de rep. Athen. IV*, 3. p. 538.

b) Nam illis ius omne, quod primum fuerat Regum, deinde Archontum, ita diuiſum fuit, vt in eorum manu tota eſſet reſpublica.

XIV. Tribus prioribus, Archonti, Regi et Polemarcho, ſingulis bini aſſignati ſunt aſſeſſores, Πάρεδροι dicti a), adeo vt in ſingulis tribunalibus ſederent terni.

a) Pollux VIII, 9. 92. Harpocrat. in πάρεδρος. Sigon. *de rep. Athen. IV*, 3. p. 539.

XV. Nouem hi Archontes primis temporibus ſuffragiis populi eligebantur, et tunc illa reip. forma ſpeciem habebat Ariſtocratiae, quia eligebantur ex nobilibus et optimis.

, Euſeb. *Chron.* p. m. 155. μετὰ τοὺς Βασιλέας Ἄρχοντες ἐνιαυσιαῖοι ᾑρέθησαν ἐξ Ἐυπατριδῶν. Hinc Plutarchus Solonem fuiſſe a ciuibus Archontem declaratum ſcribit in *Solone*. p. 85. D. Sed poſt Solonis tempora aliter factum. Tum enim ſorte electos conſtat, faba miſſa. vid. Meurſ. *de Archontibus* c. 9. p. 30. praecipue vero Periz. *ad Aelian. V. H. VIII*, 10.

XVI. Hi Nouemuiri non ante ad munus ſuum admiſſi ſunt, quam de maioribus, de aetate, de cenſu et bonis, et de vita acta, in ſenatu reſpondiſſent a), dato ſolemni iureiurando, ſe ſeruaturos leges, nec dona accepturos b).

a) Pollux VIII, 9. 85. et 86. vbi iſtud vocatur ἀνάκρισις *examen, diſcuſſio:* vid. ibi Kuhnius. Conf. Sigon. *de rep. Athen. IV*, 3. p. 535.

b) Pollux *l. c.*

XVII. Quum vero hi Archontes tandem ſuum arbitrium magis, quam leges ſcriptas ſequerentur in iudicando, exortae ſunt diſcordiae, odia, variaque

riaque mala a). Ad quae auerruncanda ſub annum LIII. a Nouemuirorum Ἀρχόντων initio b), Draconi viro graui et ſapienti poteſtas data eſt ſcribendarum legum c).

a) Dubito, an vllus veterum de hac latarum a Dracone legum cauſa tradiderit. Itaque ea deberi Auctoris noſtri ingenio videtur. Eam acerbitas poenarum a Dracone conſtitutarum quodammodo veriſimilem facit. Accedit. eamdem vt plurimum legum ferendarum cauſam fuiſſe. Tacit. *Annal. III*, 26. conf. Sigon. *de rep. Athen. I*, 5. p. 480.

b) Hoc nomine variare auctores non mirum. Suidas in Δράκων tuliſſe leges ſuas Draconem refert Olymp. XXXIX. a. 1. Quod ſi ex Euſebio ſumas, Archontum annuorum initium cecidiſſe in Olymp. XX. V. interuallum illud fuiſſe ad minimum LVII. annorum reperies.

c) Gell. *Noct. Att. XI*, 18.

XVIII. Draco ille leges tulit inſigniter ſeueras a), quae appellatae ſunt θεσμοί b).

a) Ariſtot. *Polit II*, 10. Fertur duplex dicterium in ſeueritatem harum: alterum Herodici apud Ariſtot. *Rhet. II*, 23. §. 100. prope fin. alterum Demadis apud Plutarch. *in Solone*. p. 87. E. Quibus adde Draconis ipſius, ibid.

b) *Aelian. V. H VIII*, 10. Cauſa huius appellationis, quia hoc legum illarum prooemium erat: θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ἀτθίδα νεμομένοις, κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον, vid. Porphyr. περὶ ἀποχῆς IV. p. 179. ſub fin. conf. Meurſ. *in Solone XIII.* et *Hiſtor. Vniu. ex Anglicano ſermone in Germanicum conuerſa*. T. V. §. 266. p. 155. ſq.

XIX. Quum vero hae leges populo diſplicere coepiſſent, diſſenſioneſque orirentur in ciuitate a), conuertit ſe populus ad Solonem b).

a) Huc

a) Huc pertinet tumultus ille Cylonius. Plutarch. *in Solone* p. 84. A. Thucyd. I, 126. Schol. ad Ariſtoph. *Equ.* 443. Porro ſeditio inter Diacrios, Pediaeos, et Paralos. Plutarch. *in Solone* p. 84. F. ſq. Plura habet Meurſ. *in Piſiſtrato* c. III. p. 11. ſq.

b) Plutarch. *in Solone* p. 85. C.



CAP. IV.

DE STATV REIP. ATHEN. SVB SOLONE.

I. Solon Archon deſignatus, acceptaque poteſtate nouarum legum ferendarum a), omnes Draconis leges propter nimiam ſeueritatem abrogauit praeter eas, quae de caede latae erant b), quod factum Olympiade XLVI c).

a) Plutarch. *in Solone* p. 85. D.

b) Plutarch. ibid. p. 87. D. E. Aelian. *V. H.* *VIII*, 10.

c) Cyrillus *in Iulianum* l. I. p. 12. D. et quidem anno tertio eius Olympiadis Diog. Laert. I, 62. vel anno ſecundo, vt Euſebius tradit.

II. Formam reip. tunc etiam immutauit, IX. Archontum poteſtatem multum imminuit a), infimos ex plebe ad iudicia admiſit b), atque hinc dicitur primus conſtituiſſe *Democratiam* c).

a) Sigon. *de rep. Athen.* I, 5. p. 482.

b) Plutarch. *in Solone* p. 88. A.

c) Sigon. *l. c.* Ariſtot. *Polit.* *II*, 12. Ex quo loco illud intelligi poteſt, Solonem non tam primum conſtituiſſe Democratiam, quam firmaſſe. Idem etiam alia euincunt, 1) quod deſignatus eſt a populo Legislator, 2) ver-

2) versus, qui ab ipso Solone compositi leguntur apud Plutarch. *in Solone* p. 88. B.

III. Initium fecit a promulganda Σεισαχθεία a), quae est q. d. *Oneris excussio* i. e. aeris alieni leuatio b).

a) Plutarch. *in Solone* p. 86. D.

b) Ipse Plutarchus *l. c.* σεισάχθειαν explicat χρεῶν ἀποκοπὴν i. e. *aeris alieni remissionem*, παρὰ τὸ ἀποσείσασθαι τὰ βάρη τῶν δανείων, vt est apud Hesychium. Sunt, qui σεισάχθειαν non remissionem aeris alieni interpretentur, sed vsurarum moderationem et mensurarum, et monetae pretii auctionem. Plutarch. *in Solone* p. 86. D. vid. etiam de hac re Anonymus περὶ Ἀπίστων in *Opusc. Mythol.* Th. Gale p. 96. Ceterum quae de fraude amicorum Solonis narrat Plutarchus *l. c.* deque ipsius Solonis iactura, ea satis demonstrant, Σεισαχθεία illa omne aes alienum plane fuisse remissum.

IV. Constituit etiam, quo facilius debita possent soluere debitores, vt Mina Attica, quae antea tantum drachmis LXXV. aestimabatur, valeret C. drachmas.

Plutarch. *in Solone* p. 86. D. testatur, *cum* Σεισαχθεία *coniunctam fuisse mensurarum, pretiique monetarum auctionem &c.*

V. Distributionem populi totius in IV. tribus, quarum singulae in tres curias, curiae rursus singulae in XXX. gentes diuisae erant, reliquit, vti antea fuerat. Reliquit etiam diuisionem totius ciuitatis in partes alias, Δήμους dictas.

Nam harum diuisionum et ante et post Solonem expressa vestigia reperiuntur. Nomina quatuor *tribuum* φυλῶν enumerat Pollux VIII, 9. segm. 109. sq. qui segm. 111. addit: *singulae tribus in tres partes diuidebantur:* et *quaelibet pars vocabatur* τριττὺς καὶ ἔθνος, καὶ φρατρία: ἑκάστου δὲ ἔθνους γένη τριάκοντα &c.

De

De Δήμοις vid. Pausan. *Attic.* XXXI. p. 76. sq. Strabo IX. p. 274. conf. Eustath. ad ιλ. β. v. 363. p. 181. Sigon. *de rep. Athen.* II, 2.

VI. Sed etiam diuisionem populi nouam introduxit. Nam primum ex censu distinxit totum populum in *classes quatuor:*

1. Πεντακοσιομεδίμνȣς,
2. Ἱππεῖς,
3. Ζευγίτας,
4. Θῆτας a).

a) Plutarch. *in Solone* p. 87. F. sq. Aristot. *Polit.* II, 10. Pollux VIII, 10. segm. 129. quo loco nomina illa simul explicantur.

VII. Θῆτας, infimos ex plebe, et numero tres priores classes superantes, admisit ad iudicia, deditque ius obeundarum concionum iis commune cum ceteris.

Plutarch *l. c.* Meursius *in Solone* c. XIV.

VIII. Induxit praeterea Senatum Τετρακοσίων, ad quem referebantur res omnes, quae ad remp. pertinebant.

Plutarch. *in Solone* p. 88. D.

IX. Quotannis noui designabantur sorte Senatores a), et ex Senatoribus pariter Prytanes, qui regebant Senatum per vices b).

a) Thucyd. VIII, 66. vocat Βȣλὴν ἀπὸ τȣ̃ κυάμȣ. Ab Andocide autem *Orat.* I. quae est de *mysteriis* p. 220. dicuntur ἡ βȣλὴ, οἱ πεντακόσιοι, λαχόντες τῷ κυάμῳ i. e. *Senatus quingentorum*, *sorte fabae lectus.* Conf. Sigon. *de rep. Athen.* II, 3.

b) Sigon. *l. c.* p. 492.



CAP.

CAP. V.

DE STATV ATHENARVM SVB PISISTRATO, EIVSQVE FILIIS.

I. Quum ſic ab Solone ordinata ſtetiſſet reſp. per annos circiter XXIV. a), tyrannidem occupauit Piſiſtratus b). Moritur autem anno ſequente Solon c).

a) Hoc incertum. Si Scaligero *ad Euſeb.* p. 81. hoc concedas, Solonem fuiſſe Ἄρχοντα Olymp. XLVI. a. 3. ſi porro, Comia Archonte, a Piſiſtrato occupatam tyrannidem ſumas, id quod et *marmora Oxonienſia*, et *Plutarchus* teſtantur; ſi denique Comiam iſthunc Ἄρχοντα fuiſſe Olymp. LV. a. 1. admittas; efficietur, remp. Solonis aliquanto diutius ſtetiſſe, quam XXIV. annos. vid. Perizon. *ad Aelian. V. H. III*, 21.

b) Plutarch. *l. c.* Aelian. *V. H. VIII*, 16. et quos citat Meurſius *in Solone* c. 27.

c) Quamdiu Solon. reip. a Piſiſtrato occupatae ſuperſtes fuerit, de eo valde diſſentiunt inter ſe ſcriptores. vid. Meurſius *in Solone* c. 30,

II. Piſiſtratus populi poteſtatem diſſoluit et ſuſtulit.

Herodot. I. p. 24. 25. Plutarch. *in Solone* p. 94. E. ſqq. Polyaenus I, 21. §. 1. ſq. Iuſtin. II, 8. Ariſtot. *Polit. V*, 5. Clemens fuit eius tyrannis Phaedr. I, 2. vid. Meurſii *Piſiſtratus VI.* p. 39. ſqq.

III. Tyrannidem hanc Piſiſtratus bis eiectus bis recuperauit intra XVI. annorum ſpatium.

Ariſtot. *Polit. V*, 12. Quomodo *prima vice* eiectus et reuocatus fuerit, tradit Herodot. I. p. 25. ſq. Poliaen. I, 21. Valer. Max. I, 2. *extern.* 2. quomodo *ſecunda* Herodot. I, p. 26. ſq. conf. Meurſius *in Piſiſtrato* c. V.

IV. Mor-

IV. Mortuo Pisistrato in Tyrannide successere Hippias, et Hipparchus a), quorum alter Hipparchus ab Harmodio et Aristogitone caesus est b), alter vero, Hippias, a populo expulsus, atque ita Tyrannidi finis impositus c).

a) Vid. Thucyd. I, 20. cum Schol. et VI, 54. Communiter eos Tyrannidem obtinuisse Athenis, ostendit Perizon. *ad Aelian. VIII*, 2.

b) Herodot. V. p. 351. Thucyd. VI, 57.

c) Herodot. V. p. 354. Thucyd. VI, 59.

CAP. VI.

DE STATV ATHEN. SVB CLISTHENE.

I. Eiectis Pisistratidis post annos LXXXVI. ab legibus a Solone latis immutata est reip. forma a Clisthene. Paulatim is plebem primulum fecit suam, vt sic obtrectatorem suum Isagoram Tisameni, qui Optimatum studio superior erat, vinceret.

Herodot. V. p. 355. sq.

II. Is tribus constituit *decem*, quot numero dein fuere, et Democratiam magis intendit, quam Solon.

Herodot. *l. c.* Aristot. *Polit. III.* 2. Perizon. *ad Aelian. V. H. XIII*, 24.

III. Senatum CCCC. fecit D. sc. ex singulis Decem tribubus, quibus noua dederat nomina a), sorte designabantur quotannis L. b).

a) Pollux

a) Pollux VIII, 9. 109. collat. cum Herodot. *l. c.* et Kuhnii *nota ad Polluc.* n. 31.

b) Sigon. *de rep. Athen. II*, 3. p. 491. Meminit τῆς Βελῆς τῆς τῶν Πεντακοσίων Pollux VIII, 5. segm. 19. et segm. 155.

IV. Senatui praesidebant Prytanes L. qui antea XL. a), a quibus Prytanibus tempus etiam, quo quaeque tribus praesidebat, dictum est Πρυτανεία b).

a) Harpocrat. in Πρυτάνεις.

b) Pollux VIII, 9. segm. 115. et Harpocrat. in Πρυτανείας.

V. Praeter Prytanes in Senatu etiam praesidebant Πρόεδροι IX.

Vide Potteri *Archaeolog. Graecam* Lib. I. cap. 17. et quos ibidem allegat.

VI. Prytanum munus erat, Senatum et concionem indicere, conuocare, dimittere, et res ad Senatum referre.

Pollux VIII, 9. segm. 95. sq. Demosth. *contra Timocratem.* Sigon. *de rep. Athen. II*, 4. Conf. de Prytanibus Perizon. *ad Aelian. IX*, 39.

VII. Prytanum caput erat Ἐπιστάτης a), maximae in Senatu auctoritatis, sed per vnum diem b).

a) Pollux VIII, 9. segm. 96. Suidas in Ἐπιστάτης.

b) Eustath. in Οδ. ρ. p. 641. lin. 47.

VIII. Quicumque ex Senatoribus crimen aliquod admisisset, munere hunc remouebat Senatus, et e collegio suo eiiciebat, latis per folia sententiis; quod ἐκφυλλοφορῆσαι.

Vid. Harpocration in ἐκφυλλοφορῆσαι, et Valesius *in not.* p. 56. Adde Meursium *in Lect. Attic. III*, 19.

IX. Po-

IX. Popularem hunc ſtatum poſtea immutauit Pericles in turbulentum, et cuncta miſcuit.

Ariſtot. *Polit. II*, 12. Plutarch. *in Pericle* p. 155. 157. 161. ſq. 169. ſq. Ariſtoph. *in Achárn.* paſſim, praecipue v. 496. ſq.



CAP. VII.

DE STATV ATHEN. SVB CCCC. VIRIS ET XXX. TYRANNIS.

I. Mortuo Pericle Olympiad. LXXXVIII. a) et dein eiecto Alcibiade b), caeſo Nicia cum exercitu in Sicilia c), imperium ad Optimates CCCC. delatum eſt d).

a) Si belli Peloponneſiaci initium in Olymp. LXXXVII. cadit, vt eſt apud Euſeb. *in Canon. Chron.* p. 157. cui accedit Dodwell. *in Annal. Thucyd.* p. 61. et quidem in annum primum; ſi porro Pericles duos annos et ſex menſes poſt bellum motum vixit, vt diſerte Thucyd. II, 65. teſtatur; efficitur, Periclem hac ipſa Olympiade, nempe LXXXVII. deceſſiſſe.

b) Vel abeunte in exilium, quod ſemel Thucyd. VI. 61. atque iterum factum eſt Nepos Alcib. c. 7. Plutarch. *in Alcibiad.* p. 211. ſq.

c) Thucyd. VII, 86. id quod factum Olympiad. XCI. a. 4.

d) Thucyd. VIII, 63. praecipue 67. 70. ſq.

II. Hi vero quum tyrannorum in morem ſe gererent a), poſt IV. menſes ſublati ſunt, ſuffectaque Quinque millia, quibus commiſſa reipubl. cura b).

a) Thucyd. VIII, 70. ſq. Senec. *de Tranquill.* c. 3.

b) Thucyd. VIII, 97.

III. Tan-

III. Tandem vero Olympiade XCIII. Lyſander captis Athenis *triginta Tyrannos* conſtituit [a]), qui ſeruitute oppreſſam tenebant vrbem, ſed a Thraſybulo triennio poſt expulſi ſunt [b]).

a) Plutarch. *in Lyſandro* p. 441. E. Diodor. Sic. XIV. cap. 1-7. et cap. 33. Xenoph. *Hiſtor. Gr. II.* p. 359.

b) Cornel. Nep. *in Thraſybulo.* c. 1. ſq. Xenoph. *Hiſtor. Gr. II.* p. 370.

IV. Expulſis hiſce XXX. ſine interregno vllo creati ſunt anno 2. Olympiad. XCIV. *Decemuiri* [a]), qui tunc reip. adminiſtrationem habuerunt. Hi vocantur *κατ᾽ ἐξοχὴν, οἱ Δέκα* [b]), et quisque ex illis Δεκαδοῦχος [c]).

a) Xenoph. *Hiſtor. Gr. II.* p. 471. ſub fin. libri. Diodor. Sic. XIV, 34.

b) Xenoph. *l. c.*

c) Harpocrat. in Δέκα καὶ Δεκαδοῦχος.

V. Hi decem ſimili crudelitate vſi, expulſi quoque ſunt, et reip. procuratio populo reddita.

Diodor. Sic. XIV, 34. Xenoph. *Hiſtor. Gr. II.* ſub finem.



CAP. VIII.

DE STATV ATHEN. POST ALEXANDR. M. VSQVE AD SYLLAE TEMPORA.

I. Permanſit ille Status Popularis Athenis poſt XXX. et X. illos vsque ad mortem Alexandri M. quando ab Antipatro captae ſunt Athenae [a]), et Olig-

Oligarchia instituta, vt ciuitas sc. regeretur ab opulentioribus 9000. b).

a) Diodor. Sic. XVIII, 18.

b) Idem ibid. Hic status dicitur πλουτοκρατία, hoc est, ἀρχὴ seu πολιτεία ἐκ τιμημάτων Xenophonti *Memorab. Socr.* IV. 6. §. 13.

II. Mortuo quarto post anno Antipatro, subiecta fuit ciuitas Cassandro a): qui Atheniensibus praefectum dedit b) Demetrium Phalereum c), virum eruditum d), qui licet magna in Athenienses contulisset beneficia e), pro quibus honoribus quoque amplis ab iis affectus fuit f): tamen postea, quia libertati eorum minus aequus videbatur, expulsus est g).

a) Diodor. Sic. XVIII, 74. Pausan. *Attic. XXV.* p. 60.

b) Ἐπιμελητὴν Diodor. Sic. *l. c.* τύραννον Pausan. *l. c.*

c) Diodor. Sic. *l. c.* Pausan. *l. c.*

d) Pausan. *l. c.* Laert. V, 80.

e) Diodor. Sic. *l. c.* Strabo IX. p. 274. Excerpta Peiresc. p. 52. Laert. V, 75.

f) Nam decretae illi a populo *trecentae statuae* Corn. Nep. *Miltiad.* vel *vltra trecentas* Strabo IX. p. 274. vel *trecentae sexaginta* Diog. Laert. *in Demetrio V*, 75. Plin. XXXIV. 6.

g) Nepos *in Phocione* c. 3. Causa varie traditur a Strabone *l. c.* Laertio V. 76. Cic. *de Fin. V*, 19. Cum Auctore nostro facere videtur Pausan. *Attic. XXV.* p. 60. et Phaedrus V. *fab.* 1. conf. Perizon. *ad Aelian. V. H. III*, 17.

III. Pristinam vero libertatem et popularem potestatem ipsis restituit Demetrius Poliorcetes a), in quem, vt et in Antigonum diuinos honores contulerunt b).

a) Diodor. Sic. XX, 46. p. 781. sq.

b) Idem XX, 47. p. 782. ſq. conf. Pauſan. *Attic. XXV.* ſq. p. 60. ſq. Plutarch. *in Demetrio* p. 892. ſq.

IV. Hanc libertatem ſuam retinuerunt fere vsque ad Syllae tempora, ſiue bellum Mithridaticum [a]): licet interea temporis aliquando mutationes aliquas ſubierint, et mala quaedam paſſi fuerint [b]).

a) Pauſan. *Attic. XX.* p. 47. ſq. Appian. *de Bello Mithridat.* p. 322. 332. Plutarch. *in Sylla.* p. 460. ſq.

b) Huc pertinent mala, quae paſſi ſunt a Philippo Macedoniae rege. Liu. XXXI, 24. 26. et 30.



CAP. IX.

DE STATV ATHENARVM SVB ROMANIS ETC.

I. Bello Mithridatico cum Athenienſes partibus Mithridatis fauerent [a]), iratus Sylla vrbem eorum obſedit, expugnauit et magna clade affecit, totamque vrbem miſere deformauit [b]).

a) Plutarch. *in Sylla* p. 458. E. Appian. *de B. Mithrid.* p. 322. Pauſan. *Attic. XX.*

b) Praeter citatos, Plutarchum, Appianum, Pauſaniam vid. Vellei. II, 23. Flor. III, 5. Ceterum, ſi Strabonem IX. v. 274. et Vellei. *l. c.* legas, leniter potius, quam crudeliter cum Athenienſibus Sylla egiſſe videbitur.

II. Dein ex his malis iterum ſe emergere coepit ciuitas beneficio Populi Romani, qui poſt

Syllae mortem eam ſubleuauit, et libertatem ei reddidit.

Hoc ex Strabone IX. p. 274. colligas. conf. Meurſ. *de Fortuna Athenarum* X. p. 99. ſq. vbi ex variis auctoribus probat, Athenienſes αὐτονομίᾳ et libertate illibata ad Veſpaſianum vsque gauiſos fuiſſe.

III. Praeter alios Adrianus omni beneficiorum genere proſequutus eſt Athenienſes, aequas iis dedit leges, iura conceſſit inſignia, vrbem magnopere exornauit.

De hoc in genere Pauſan. *Attic.* XX. ſub fin. p. 48. de templo vero Iouis Olymp. ab Adriano dedicato, et ſtatuis eiusdem Adriani Idem *Attic.* XVIII. p. 42. De legibus teſtatur Marianus *in Chron.* apud. Meurſ. *de Fortuna Athen.* X. p. 104. De aliis beneficiis Xiphilinus *in Adriano.* Spartianus *in Adriano* XIII. et XX. Caſſiodor. *in Chron. in Adriano.*

IV. Multa etiam beneficia in Athenienſes contulerunt ſucceſſores eius M. Antoninus Pius a), et M. Antoninus Philoſophus b).

a) Vid. Inſcriptio vetus Operis Gruteriani p. 177.

b) Xiphilinus *in M. Antonino Philoſopho.* p. 371.

V. Fauore quoque eos proſequutus eſt Valerianus, qui moenia inſtaurare permiſit illis.

Zoſim. L. I. c. 29. Zonar. XII, 23. p. 629.

VI. Sed dein Gothi ſub Gallieno vrbem in ſuam poteſtatem redegerunt, ac depopulati ſunt.


Zoſim. I, 39. et Zonaras ſub Claudio XII, 26. p. 635. hoc a Scythis factum dicunt.

VII. Tandem vero a Turcis miſere vaſtata eſt anno Chriſti 1455. ita vt non vrbis, ſed vici ignobilis faciem ſeruauerit a), atque in hanc vsque diem ſub eorum poteſtate ſit, voceturque *Satina* b).

 a) Vid.

a) Vid. Laonicus Chalcocondylas IX. p. 241. sq. Ducas Hist. Byz. p. 198. et quos citat Meurs. *de Fort. Athen.* X. p. 111.

b) Hoc tradit idem Meursius *l. c.* Cui hoc nomine contradicit Th. de Pinedo ad Stephanum Byz. sub voce Ἀθῆναι. p. 27.



CAP. X.

DE CONCIONE APVD ATHENIENSES.

I. *Concio*, gr. Ἐκκλησία, erat coetus vniuersi populi a), qui si legitimus esset b), summae rerum praeerat ex instituto Solonis c).

a) Ammonius: ἐκκλησίαν ἔλεγον οἱ Ἀθηναῖοι τὴν σύνοδον τῶν κατὰ τὴν πόλιν.

b) Legitimus erat, si et a magistratu legitimo aduocatus, et die locoque legitimo habitus, et reliqua, quae continentur in lege de habenda concione, seruata essent: de quibus omnibus deinceps. vid. Sigon. *de rep. Athen. II.* 4. p. 496.

c) Hinc Demosthenes *Orat. contra Neaeram* p. 529. C. populum Atheniensem omnium rerum, quae sint in ciuitate, dominum esse, eumdemque pro arbitratu de iis statuere posse scribit. Vtrum tamen plus a Solone, an vero a Clisthene demum, Aristide, et Pericle, concionis arbitrio permissum fuerit, dubitari potest, si modo potest. Vid. Aristot. *de rep. II.* c. 12. et III, 2.

II. Habebat potestatem iudicandi de Actis Senatus a), ferendi leges b), creandi magistratus c), bellum decernendi &c. d).

a) Pollux VIII. 9. segm. 95. Idem intelligitur ex Lege, quae adsertur ex Aeschine in Ctesiphontem et ex Demosth. et Vlpiano *in Androt.* apud Potter. *de Legg. Attic.* lib. III. tit. I. item ex toto sequ.

sequ. titulo, qui est de Magistratibus. Vid. Petitus p. 216. sqq.

b) Demosth. *in Timocratem* p. 464. sq. Plura vide apud Sigon. *de rep. Athen. II*, 4. p. 501. sq. Petit. p. 97. sq.

c) Pollux VIII, 10. segm. 133. Aeschines *contra Ctesiphontem* p. 278. Sigon. *l. c.* p. 531. sq.

d) Thucyd. *l. c.* 139. sq. c. 145. sq. Sigon. *l. c.* II, 4. p. 502. De ceteris, quorum potestas penes concionem fuit, vid. Sigon. *de rep. Athen. II*, 4. p. 501. sqq.

III. Locus, quo conueniebat populus, erat vel *forum* a), vel Πνὺξ, locus iuxta arcem b), vel *theatrum* c).

a) Harpocrat. in Πάνδημος Ἀφροδίτη.

b) Thucyd. VIII, 97. Schol. *ad Equ.* Aristoph. v. 42.

c) Thucyd. VIII, 93. Pollux VIII. 10. segm. 133.

IV. Erant autem *Conciones* vel *ordinariae*, dictae Ἐκκλησίαι, siue Ἐκκλησίαι κυρίαι a), vel *extraordinariae*, dictae Κατεκκλησίαι, et σύγκλητοι Ἐκκλησίαι b).

a) Harpocrat. in Κυρία Ἐκκλησία. Pollux VIII, 9. segm. 95. sq. Schol. Aristoph. *ad Acharn.* v. 19. Petitus p. 196. sq.

b) Pollux VIII, 9. segm. 116. Aristoph. Schol. *ad Acharn.* v. 19. Petitus p. 204. sq.

V. *Ordinariae* statis diebus habebantur, ter singulis mensibus a), et indicebantur a Prytanibus ex lege et voluntate Senatus b).

a) Hoc testatur Vlpianus *in Timocrat.* pag. 227. item *in Orat. de falsa Legatione* p. 100. Sed ex Calendario Attico apud Petitum *in Legg. Attic.* p. 197. sqq. patet, concionem ordinariam quater singulis Prytaneis h. e. intra dierum triginta quinque ambitum, coactam fuisse.

fuisse. Quae sententia etiam Aristotelis fuit apud Harpocrat. in Κυρία Ἐκκλησία.

b) Harpocrat. *l. c.*

VI. *Extraordinariae*, si quid grauius incidisset [a]) pro re nata, indicebantur saepe a Prytanibus [b]), et voluntate Senatus [c]); saepe etiam a στρατηγοῖς, si de bello agendum esset cum populo [d]).

a) Aristoph. Schol. *ad Acharn.* v. 19.

b) Demosth. *de Corona* passim. vid. quod laudat Sigon. *de rep. Athen.* II, 4. Petitus p. 204. sq.

c) Nam Πρυτάνεις sunt οἱ διοικοῦντες ἅπαντα τὰ ὑπὸ τῆς βουλῆς ταττόμενα Harpocrat. in Πρυτάνεις.

d) Demosth. *de Corona* p. 323. Petitus p. 204. sq.

VII. Quia autem multi inuiti conciones obibant, et segnes hac in parte erant, propter res molestas, quae aliquando in iis tractabantur, compellebantur eo a ministris publicis, qui funem rubro colore tinctum extendebant per forum, qui vero tincti erant eo fune, mulctam pendere cogebantur.

Vid. Schol. Aristoph. *ad Acharn.* v. 22. Pollux VIII. c. 9. segm. 104. Sigon. *l c.* p. 498. sq.

VIII. Praesidebant in concione Proedri, Epistata, et Prytanes.

Hoc intelligitur ex Polluc. VIII, 9. segm. 95. et 96. Harpocrat. in Πρόεδροι. conf. Sigon. *l. c.* p. 496.

IX. Initium fiebat ab expiatione: mactabatur porcellus.

Schol. Aristoph. *ad Acharn.* v. 44. Pollux VIII, 9. segm. 104. Harpocrat. in Καθάρσιον.

X. Tum vota nuncupabantur a praecone [a]), et silentium indicebatur [b]).

a) Demosth. *contra Timocratem* p. 464. Plura habet Petitus p. 206. sq.

b) Col-

b) Colligitur ex Ariſtoph. *Theſmoph.* v. 302. ſq. cum Schol.

XI. Deinde Proedri cum Prytanibus rem proponebant, de qua conſultandum erat, et ſi quod de ea extaret προβȣ́λευμα, eo recitato, iubebat praeco in medium conſulere, qui vellet.

Pollux VIII, 9. ſegm. 95. Harpocrat. in Πρόεδροι. Sigon. *de rep. Athen. II*, 4. p. 499. ex Demoſthene et Aeſchine teſtimonia adſert Petitus p. 206. ſq.

XII. Qui ſententiam eſſent dicturi, debebant eſſe ciues L. annis maiores a): arcebantur etiam infames, quique turpem vitam degerant &c. b).

a) Vid. Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* v. 330. Petitus *ad Legg. Attic.* p. 209.

b) Aeſchines *in Timarchum* p. 174. Sigon. *de rep. Athen. II*, 4. p. 500. Petit. *l. c.* p. 205. Kuhn. *ad Polluc. VIII*, 9 ſegm. 104. n. 61.

XIII. Suffragia dabat populus per χειροτονίαν a).

a) i. e. *per extenſionem manuum.* vid. Valeſ. *ad Harpocrat.* p. 75. Sigon. *l. c.* p. 501.

XIV. Senatusconſultum a populo ita ratum factum per χειροτονίαν, vocabatur ψήφισμα, valebatque in perpetuum. Antequam vero a populo probatum erat, dicebatur προβȣ́λευμα, valebatque tantum vnius anni ſpatium.

Vlpian. *ad Oration. contra Ariſtocratem* p. 219. Petitus p. 121. ſq. Sigon. *l. c.* p. 501.

XV. Scribebantur ψηφίσματα, vt nomen Oratoris, aut Senatoris, qui cenſuerat, et nomen Tribus, quae in Πρυτανείᾳ erat, adſcriberetur.

Vide teſtimonia a Sigonio *l. c.* p. 501. producta ex Demoſthenis *Orat. de corona* p. 316.

CAP.

CAP. XI.

DE PRAECIPVIS TRIBVNALIBVS ATHENIENSIVM ET PRIMO DE AREOPAGO.

I. Areopagus fuit Curia Athenienſium a), graece Ἄρειος πάγος h. e. *Martis collis* b).

a) Sic vocat Hieronymus *in Epiſt. ad Tit.* c. 1. Solinus c. 13. vocat *locum iudicii* apud Athenienſes. Iuuenal. Sat. IX. v. 102. *curiam Martis*.

b) Sic dicitur Act. XVII, 19. et alibi.

Xenoph. Ἀπομνημ. III, 5. §. 20. et alii vocant τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βελήν. Demoſth. *in Ariſtocrat.* p. 437. τὸ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ δικαςήριον.

II. A *Marte* denominatus, quia primus ibi cauſam ſubiiſſe dicitur *Mars*.

Pauſan. *Attic.* XXVIII. p. 68. De diſſentiente Aeſchylo aliisque vid. Meurſius *in Areopago* c. 1. p. 3. ſq.

III. In cacumine huius *collis* erat *Tribunal*, ad quod Mars cauſam dixiſſe fertur.

Vid. Holſtenius *ad Steph. Byzant.* in Ἄρειος πάγος.

IV. Coram Tribunali hoc erant λίθος Ἀναιδείας, et λίθος Ὕβρεως. In altero ſtabat *reus*, in altero *actor*.

Pauſan. *Attic.* XXVIII. p. 68. conf. Hadr. Iunii *Animadu.* I, 3. p. 6. ſq.

V. Quibus ſuperſtructum fuit templum, inde dictum ὕβρεως καὶ ἀναιδείας.

Clemens Alexandr. *in Protrept.* p. 12. E. Cic. *de Legg.* II, 11. n. 28.

VI. Prope

VI. Prope Tribunal duae erant columnae, leges habentes inſcriptas, ſecundum quas iudicabant Areopagitae.

Lyſias *de caede Eratoſthenis* circa med. p. 7. et *in Andocidem*, non longe ab init. p. 48.

VII. A loci nomine Senatus huius Curiae dictus Ἀρειόπαγος a), et membra eius Ἀρειοπαγῖται b).

a) Frequentius occurrit diuiſim Ἄρειος πάγος, vel ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλή, item ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλή.

b) Vid. Lucian. *de Gymnaſiis* p. 281.

VIII. Eligebantur illi olim ex quibuslibet ciuibus, ſed probatis, iuſtis, religioſis.

Fuiſſe Areopagum ante Solonem, cum aliunde, tum ex *Marmore Oxon.* n. 5. et 6. et 26. conſtat; ſed vnde Areopagitae ante Solonem legerentur, certo non poſſe dici videtur. Quae Auctor noſter hic tradit, eadem fere habet Meurſius *in Areopago* c. III. p. 13. ſed Meurſius nullum adducit teſtimonium. vid. Perizon. *ad Aelian. V. H. V*, 15. vid. et Sigon. *de rep. Athen. II*, 5. p. 507.

IX. Poſtea ex inſtituto Solonis, illi ſoli, qui Archontes fuerant.

Plutarch *in Solone* p. 88. D. Pollux VIII, 10. ſegm. 118. Pluribus hoc probat Meurſius *l. c.*

X. Haec Curia totius Graeciae fuit grauiſſima, ſeueriſſima, ſanctiſſima.

Lyſias *in Andocidem* p. 48. vocat σεμνότατον καὶ δικαιότατον δικαστήριον. Xenoph. Ἀπομνημ. III, 5. §. 20. Seneca *de Tranquill.* c. 3.

De grauitate et auctoritate huius iudicii iudicare licet ex Pauſan. *Meſſen. V*, p. 290. Gell. XII, 7. Cic. *ad Attic. I*, 14. Suid. in Ἀρεοπαγίτης.

XI. Iudicabant Areopagitae de quibusuis grauioribus delictis [a]):

1. de *Furtis* [b]).
2. de *Insidiis* [c]).
3. de *Vulneribus voluntariis* [d]).
4. de *Veneficiis* [e]).
5. de *Incendiis* [f]).
6. de *Homicidiis* [g]).
7. *Religionis* etiam curam habuerunt, in Deorum contemtores, aut nouorum rituum, et peregrinorum Deorum introductores seuerissime animaduertentes [h]).

a) Hoc tradit Maximus *Prol. ad Dionys. Areopagit.* ex Androtione et Philochoro.

b) Cic. *de Diuinat. I,* 25.

c) Harpocrat. et Suidas in Βουλεύσεως.

d) Περὶ τραύματος ἐκ προνοίας i. e. *de vulnere consulto, animoque occidendi inflicto.* Pollux VIII, 10. segm. 117. Lucian. *in Timon.* p. 145.

e) Pollux *l. c.* Aelian. *V. H. V,* 18. Gell. XII, 7.

f) Περὶ πυρκαϊᾶς (ἐκ προνοίας) *de sponte et consulto facto incendio.* Vid. Pollux *l.* c. Lucian. *de Gymnas.* p. 281.

g) Aelian. *V. H. V,* 15. Pollux *l. c.* Hesych. in Δικαστήρια.

h) Demosth. *in Neaeram* p. 528. C. Hinc Iustin. Martyr *in Exhortatione ad Gentiles* Platonem, ait, suam de Deo opinionem non ausum fuisse proferre in publicum, metu Areopagi, φόβῳ τοῦ κωνείου, *metu aconiti.* Iustin. Martyr *Orat. I. ad Gr.* p. 24. B. Hinc intelligitur locus *Actor. XVII,* 19. ad quem vide Interpretes.

XII. Grauiora crimina morte puniebant [a]), leuiora mulctis, quas in aerario reponebant [b]).

a) Aelian. *V. H. V*, 18.
b) Pollux VIII, 9. segm. 99.

XIII. Initio hi iudices tribus tantum vltimis diebus cuiusque mensis sedebant [a]), post vero saepius, et singulis fere diebus [b]).

a) Pollux VIII, 10 segm. 117.
b) Lucian. in *Bis Accusato* p. 221.

XIV. Cum conuenissent in Curiam Iudices, mox praeco populum tuba secedere iubebat et silere.

Aeschyl. *Eumenid.* v. 561. sq. cum Schol.

XV. Tum is ex Archontibus, qui Βασιλεὺς dictus, considebat inter Iudices.

Pollux VIII. 9. segm. 90. Antiphon. *Orat. XVI.* p. 157. sqq.

XVI. Ante omnia autem peragi solebant solemniter sacrificia.

Colligitur ex Demosth. *in Aristocratem* p. 438. B. et ex aliis locis, qui ad sequentem §phum adducentur.

XVII. Mactatorum animalium carnibus insistebant coram tribunali et *actor* et *reus*, amboque iurabant.

Demosth. *l. c.* Antiphon. *Orat. de caede Herodis* p. 94.

XVIII. Inde *reus* in lapidem Ἀναιδείας, *actor* in lapidem Ὕβρεως adscendentes [a]), causas suas alternis vicibus agebant [b]), vel per se vel per patronos [c]).

a) Pausan. *Attic. XXVIII.* p. 68.
b) Lucian. *de Gymnas.* p. 281.
c) Lucian. ibid.

XIX. Initio

XIX. Initio per ſe ipſi cauſas agebant *actor* et *reus* a). Poſtea vero *Decem* ſorte electi conſtituti ſunt huius Curiae patroni b).

a) Sextus Empir. *aduerſus Mathem. II* p. 304.

b) De *Oratoribus* vid. Lucian. *l. c.* et *in Bis Accuſato* p. 223. *Sorte fuiſſe lectos*, teſtatur Harpocrat. in Συνήγοροι. Denique *decem fuiſſe lectos* teſtis Schol. Ariſtoph. *ad Veſp.* v. 689.

XX. Patronis iſtis non licebat vti prooemiis, artibusue oratoris.

Pollux VIII, 10. ſegm. 117. Lucian. *de Gymnaſ.* p. 281. Huc alludit Quintil. VI, 1. §. 7. et alibi II, 17. Themiſt. *Orat.* 16. Apulei. Mileſ. X. p. 214.

XXI. Iudices audita vtraque parte, tacite ferebant ſententiam.

Demoſth. *in Ariſtogit.* p. 493. C. Macrob. *Saturn. VII*, 1. Iuuenal. IX, 102. Hinc prouerbium: Καὶ Ἀρεοπαγίτου σιωπηλότερος, vel στεγανώτερος, *Areopagita taciturnior.*

XXII. Vtebantur ad id calculis *albis*, et *nigris* a), qui, vt ab albis poſſent diſtingui ab Iudicibus in tenebris iudicantibus, erant *perforati* b). Hi *damnabant*, illi *abſoluebant* b).

a) Vlpianus *in Timocratem* p. 239. A. Ouid. *Met. XV*, 41. ſq. Plutarch. *in Alcibiade* p. 202. D.

b) Pollux *VIII*, 10. ſegm. 123. qui tamen locus de Heliaeae potius, quam de Areopagitico iudicio accipiendus eſt cum Meurſio *in Areopag. c. VIII.* p. 59. Huc pertinet Lucian. *in Bis Accuſato* ſub fin. p. 237. ſq. conf. Ariſtoph. Schol. *ad Veſp.* v. 981.

XXIII. Hos calculos iniiciebant in *vrnas*, quae duae erant.

Vtriusque meminit Ariſtoph. *in Veſp.* 981. et 685. vbi conf. Schol. Item v. 750. ſqq. cum Schol.

XXIV. Vrna-

XXIV. Vrnarum altera erat *aenea*, dicta Ἐλέȣ, altera *lignea*, dicta Θανάτȣ. In priorem iniiciebant *albos*, in posteriorem *nigros*.

Schol. Aristoph. *ad Vesp.* v. 981. et 985. vbi vrnae istae dicuntur ἀμφορεῖς, item καδίσκοι. vid. et Florens Christianus *ad loc. Aristophanis.*

XXV. Si alborum numerus esset maior, in tabula cerata exarabatur vngue linea breuior, sin contra, longior.

Schol. ad Aristoph. *Vesp.* v. 106.

XXVI. Si vero in vtraque vrna pares essent calculi, alius in vrnam Ἐλέȣ iniiciebatur a praecone, qui calculus Mineruae dictus.

Aristides *Orat in Mineruam.* Iulian. *Orat. III.* p. 114. D. Alludit Philostr. *in vit. Sophist. II,* 3. p. 568. vbi Ἀθηνᾶς ψῆφος de *sententia salutifera.* conf. Lucian. *in Reuiuiscent.* p. 401. et Lambin. *ad Cic. Orat. pro Milon.* c. 3.

XXVII. Condemnatus Reus illico in vincula coniectus ad supplicium ducebatur.

Hoc factum esse apparet ex Lycurgi *Or. adu. Leocratem* p. 134. an vero semper et statim, dubium videtur. Ex Demosthene *adu. Cononem* p. 730. C. manifestum, Areopagum etiam exilio mulctasse sontes. Omitto, quae Auctoris nostri sententiae opponi possunt ex iis, quae habet Meursius *in Areop.* c. *IV.* item ex Aelian. *V. H. V,* 18.

XXVIII. Ante latam sententiam in vinculis non erat Reus, poteratque tunc, si de causa sua desperaret, exilio iudicium euitare a); poena vero illi erat bonorum publicatio b).

a) Demosth. *in Aristocratem* p. 438. B. Pollux *VIII,* 10. segm. 117.

b) Pollux *VIII,* 9. segm. 99.

XXIX. Haec

XXIX. Haec Curia fuit totius Graeciae antiquissima a). Quando autem coeperit, de eo lis est b). Sunt, qui putant, a Solone institutam c), sed falso: fuit enim ante Solonem d). Sed is maiorem ei auctoritatem conciliauit e).

a) Antiquitatem illi Demosthenes adstruit, *Orat. in Aristocratem* p. 438. C. incertus, vtrum eius originem ad Heroas, an ad ipsos Deos referat.

b) De hac lite Meurs. *in Areopago* cap. *III.* p. 11. sq. et ipse Plutarchus *in Solone* p. 88. D. E.

c) Plutarch. *l. c.* Cic. *de Offic* *I*, 22.

d) Aristot. *Polit. II*, 10. Marmor. Oxon. n. 5. 6. et 26.

e) Forte eo, quod ex eius instituto illi tantum in Areopagum legerentur, qui Archontum munere functi essent. Plutarch. *in Solone* pag. 88. D. Ceterum ex Polluce *VIII*, 10. segm. 125. constat, a Solone etiam Ephetis praelatos fuisse Areopagitas, si modo ibi προκατέστησε legendum, et non potius προσκατέστησε.

XXX. Imminuta vero eius auctoritas est per Periclem a), non tamen plane periit eius dignitas, sed longo post tempore durauit b).

a) Plutarchus *in Pericle* p. 155. E. p. 157. A. Aristotel. *Polit. II*, 10. Diod Sic. l. *XI*. c. 77. p 59. Ex quibus illud quoque cognoscitur, Periclem hac in re opera Ephialtae vsum fuisse.

b) Mentionem eius facit Cic. *ad Fam. XIII*, 1. Lucas *Act. XVII*, 19. imo sub Imperatoribus Gratiano et Theodosio Ῥούφιος Φῆστος, Proconsul Graeciae vocatur et Ἀρεοπαγίτης Inscript. Gruteri n. 7. p. 464. Id quod Meursii sententiae aduersatur, sublatum Areopagum, Imperatore Vespasiano, existimantis, *in Areopago* c. *III.* p. 16. Reinesius ad allegatam Inscriptionem notat, sibi videri, esse illum Festum, qui a Valente missus, vt Asiam Proconsul administraret *Zosim. IV.* ab *Ammiano Marcellin. XXIX*, p. 167. vocari Festum

Tri-

Tridentinum. Mox probabilius putat, inſcriptionem referendam eſſe ad Rufum Feſtum Auienum, qui fortaſſe is ipſe ſit, quem Ammianus innuat. Locus Ammiani eſt lib. XXIX. p. 563. vbi de Feſto Tridentino eadem, quae Reineſius, coniicit Valeſius. Zoſimi locus eſt lib. *IV.* c. 15.

CAP. XII.

DE IVDICIO EPHETARVM.

I. Seuerum erat etiam Δικαςήριον Ephetarum dictum τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ a).

a) Demoſth. *contra Ariſtocrat.* p. 438. C. et ex eo Harpocrat. in Ἐφέται. Heſych. in ἐπὶ Παλλαδίῳ.

II. Inſtitutum tradunt a Demophoonte.

Pauſan. *Attic.* XXVIII. p. 69. Harpocrat. in ἐπὶ Παλλαδίῳ. At Pollux *VIII*, 10. ſegm. 125. originem eius ad Draconem refert. Quos auctores inter ſe diſſentientes in concordiam reuocat Cl. Io. Tob. Krebſius *in diſſ. de Ephetis Athenienſium* Lipſ. 1740. habita.

III. In hoc tribunali ſedebant primis temporibus non tantum *Attici* Iudices, ſed etiam *Argiui.*

Harpocrat. in Ἐπὶ Παλλαδίῳ.

IV. Draco dein *Argiuos* eiecit, et conſtituit in eo tantum *Athenienſes.*

Hoc colligitur ex loco Pollucis *VIII*, 10. ſegm. 124. 125. vid. Sigon. *de rep. Ath. III*, 3. p. 519.

V. Iudices numero erant LI. a) aetate L. annorum, non infra b).

a) Pollux *l. c.* Ipſe Demoſth. *Orat. adu. Macartatum* p. 666. A.

b) Suidas in Ἐφέται.

VI. So-

VI. Solon ita reliquit: ſolummodo grauiores quasdam cauſas ab hoc tribunali transtulit ad Areopagiticum, vt eius augeret auctoritatem.

Ex Demoſthenis *Orat. contra Macartatum* p. 666. item *contra Ariſtocratem* p. 433. C. item ex Pollucis *l. c.* facile haec cum Sigonio *de rep. Athen. III*, 3. p. 519. colligas. Adde Plutarch. *in Solone* p. 88. ſq.

VII. Hi Ephetae iudicabant potiſſimum de *caede inconſulta* a).

a). Περὶ ἀκυσίων Φόνων Heſych. *l. c.* Demoſth. *adu. Ariſtocratem* p. 438. C. Aelian. *V. H. V*, 15. Cetera, de quibus *Ephetae* iudicarunt, vide apud Sigonium *l. c.* et Perizon. *ad Aelian. l. c.*

VIII. Dicti ſunt Ἐφέται, ἀπὸ τȣ̃ ἐφιέναι, a *prouocando*, quia a minoribus iudiciis ad hoc prouocari poterat.

Scilicet ὁ Δράκων παρέδωκε τοῖς Ἐφέταις τὴν κρίσιν ἐφέσιμον ἀπὸ τȣ̃ βασιλέως πεποιηκὼς i. e. *Draco hoc iudicium Ephetis permiſit, ſimulque poteſtatem fecit a Rege* (i. e. ſecundo inter Nouem Archontas) *ad Ephetas prouocandi*, vt Pollux *l. c.*

Hanc etymologiam probat Doctiſſimus Krebſius in laudata Diſſertatione, reiectis aliis aliorum.

IX. Deſignabantur hoc modo: ex ſingulis tribubus, quae decem erant, eligebantur viri probatae vitae *quinque*. His addebatur *vnus* ſorte deſignatus, et ſic erant *vnus* et *quinquaginta*.

Haec omnia leguntur apud Schol. Ariſtoph *ad Plut.* v. 277. Itaque Sigonius ad locum Scholiaſtae prouocat, ea probaturus, quae ab Auctore noſtro poſt Sigonium hic dicuntur, hac ductus ratione, *quod lectio cum ſortitione coniuncta non poſſit in alios Iudices, quam Ephetas, conuenire, in lib. de rep. Athen. III*, 3. p. 519.

Sed

Sed quum esse magni momenti videantur, quae iam semel iterumque laudatus Krebsius huic sententiae Sigonii opponit §. V. Diss. citatae, praestat hic ignorantiam profiteri, quam vel Sigonium vel Bosium hoc nomine sequi.

** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** ** **

CAP. XIII.

DE IVDICIO HELIASTICO.

I. Celeberrimum etiam Athenis fuit Iudicium *Heliasticum* dictum gr. Ἡλιαῖα a) vel Ἡλιαστικόν b).

a) Pausan. *Attic. XXVIII.* p. 69. Vid. Holstenius ad *Stephanum* p. 128.

b) Subintellecto Δικαστήριον.

II. Sic dictum, quia erat sub dio, et radiis solis feriebatur.

Schol. Aristoph. *ad Nub.* v. 860. et alibi. Aliam notationem habes apud Vlpianum *in Timocrat.* p. 227. C.

III. Hinc iudicem agere in hoc tribunali dicitur ἡλιάζειν, et ipsi iudices ἡλιασαὶ appellantur b).

a) e. g. Aristoph. *Lysistr.* v. 381.

b) e. g. Aristoph. *Equ.* v. 255. Harpocrat. in Ἡλιαῖα.

IV. Numerus Iudicum in hoc tribunali non semper idem fuit a), sed pro causarum modo maior vel minor b).

a) Pollux VIII, 11. segm. 123.

b) Vlpianus *in Timocrat.* p. 226. B. Plura vid. apud Petitum *ad Leges Atticas* p. 309.

V. Sorte designabantur a). Et designati iureiurando graui et sancto se adstringebant b).

a) Colligit hoc Petitus p. 309. ex verbis Demosth. *adu. Aristogitonem* p. 494. A.

b) Hoc iusiurandum dicitur ὅρκος ἡλιαστῶν, legiturque apud Demosthenem *contra Timocratem* p. 481.

VI. Quod ad ordinem attinet, quo in hoc iudicio agebatur, hic erat: Actor, si quem in iudicium vocare vellet, a Thesmothetis petebat veniam accusandi aliquem a); qua data, vocabat eum in ius per κλητῆρα b). Illud *citare* gr. προσκαλεῖσθαι c). Tum actionem suam libello inscriptam tradebat d).

a) Vid. Petitus *in Legg. Attic.* p. 314. Non videtur haec venia data esse, nisi praegressa ἀνακρίσει, de qua Suid. in Ἀνάκρισις et Vlpian. *in Midianam* p. 176. A.

b) Schol. Aristoph. *ad Vesp.* v. 189. Harpocrat. in Κλητῆρες. Salmas. *ad Ius Attic.* p. 858.

c) Aristoph. *Nub.* v. 1280. vbi Schol. vide. Etiam καλεῖσθαι Demosth. *in Aristocrate* p. 437. B.

d) Vlpian. *in Midianam* p. 172. B. Demosth. *Orat. de Chersoneso* p. 38. B. talem libellum vocat πινάκιον, et Suidas πρόκλησιν etiam dictam fuisse testatur γραμματεῖον h. e. *tabulam*, seu *libellum*, *cui actio inscripta*.

VII. Cum conuenissent Iudices, magistratus actiones in forum introducebant, et iudicibus po[test]atem iudicandi dabant, quod graeca phrasi εἰσά[γει]ν δίκας εἰς τὸ δικαστήριον a). Vnde δίκη εἰσαγώγιμος b).

a) Sigon. *de rep. Athen.* III, 4. p. 523. et qui ab eo citantur. Harpocrat. in Ἡγεμονία δικαστηρίου: et Lysias *contra Alcibiad.* Ἀστρατείας sub init. Adde Lysiae *Orat.* κατὰ Νικομάχου sub init, Demosth. *adu. Lacritum* p. 598. B.

b) De-

b) Demosth. *in Zenothemid.* p. 577. C. *in Lacritum* p. 598. A. Lysias *in Pancleonem* ab init.

VIII. Introducta in forum causa, poterat reus iudicium a se depellere, aut in aliud tempus differre quatuor modis: vel per παραγραφὴν a), vel ὑπωμοσίαν b), vel ἀντιγραφὴν c), vel ἀντίληξιν d).

a) Παραγραφὴ est exceptio opponi solita, si res iam ante iudicata esset, vel si nullus esset magistratus, qui eam introduceret, vel si de ea re nulla lex esset. Vid. Suidas in hac voce. Vlpian. *in Midianam* p. 170. C. Pollux VIII, 6. segm. 57.

b) Ὑπωμοσία est iusiurandum ad impetrandam iudicii dilationem pertinens, si quis excuset aut morbum, aut mortem domesticorum, aut aliquod aliud infortunium. Ita Vlpian. *in Midianam* p. 170. C. Conf. Harpocrat. in hac voce, et quos citat ibi Valesius. Palmerius et Kuster. ad Aristoph. *Eccles.* v. 1018.

c) Ἀντιγραφὴ est recriminatio, si quis reus ipse accusatorem accusat. Pollux VIII, 6. segm. 58. Vid. docti viri ad Harpocrationem.

d) Ἀντίληξις, si quis absens foro, per praeconem citatus, neque audiens, iudicium deseruit, et intra duos menses actori litem mutuam intentauit. Sic Sigon. *de rep. Athen. III*, 4. p. 524. ex Polluce VIII, 6. segm. 61. conf. Vuolfius *in Midianam* p. 361. C.

IX. Si nullo ex his remediis vteretur reus, debebat vterque, et *actor* et *reus* iusiurandum dare: *actoris* προομοσία, *rei* ἀντωμοσία dicebatur.

Vtramque vocem explicat Pollux VIII, 6. segm. 55. Conf. Vlpian. *in Orat. de Falsa Legat.* p. 100. A. Schol. Aristoph. *ad Vesp.* v. 1036.

 X. Prae-

X. Praeterea pecuniam aliquam deponere tenebantur ambo, cuius hae ſunt ſpecies: Πρυτανεῖα, Παράστασις, Παρακαταβολὴ, Ἐπωβελία.

Horum omnium explicationem lege apud Polluc. VIII, 6. ſegm. 38. 39. Sigon. *l. c.* p. 525. Harpocrat. in his vocibus. De Prytaneis ſpeciatim, deque differentia inter *Prytanea* Athenienſium, et inter *Sportulas*, et inter *Sacramentum* Romanorum Kuſter. *ad Ariſtoph. Nub.* v. 1134. et v. 1182.

XI. Hoc peracto, dabatur dicendi poteſtas *actori* et *reo* a), vel *patrono* b), ſed ordine optimo, ad Clepſydram c).

a) Vid. Heraldus *ad Ius Atticum et Romanum* VI, 10. n. 3. ſq.

b) Suid. in Συνήγορος. Colligas etiam ex Aeſchine *contra Cteſiphont.* p. 302. C.

c) Ariſtoph. *Schol. ad Acharn.* v. 693. vid. Aeſchin. *in Cteſiphontem* p. 302. C. Demoſth. *in Nicoſtratum* p. 723. B. et alibi ſaepe. Alludit ſaepe Lucian. *e. g. in Reuiuiſc.* p. 395. 403.

XII. Singulis tantundem infundebatur aquae a), et ne dolus ſubeſſet, huic rei erat praefectus, Ἐφύδωρ dictus b).

a) Hoc ſemper factum eſſe, videtur dubium ob ea, quae leguntur apud Demoſth. *in Macartat.* p. 659.

b) Pollux VIII, 9. ſegm. 113. Kuſter. *ad Suid.* in διαμεμετρημένη.

XIII. Hinc prouerbium πρὸς τῇ κλεψύδρᾳ &c.

i. e. *ad Clepſydram orare*: πρὸς ὕδωρ ἀγωνίζεσθαι, vt loquitur Demoſth. *in Macartat.* p. 659. A. Cicero de *Orat. III.* §. 34. *Ad clepſydram clamare.* Huc pertinent alia prouerbia: *Aquam perdere*, ἄλλως ἀναλίσκειν ὕδωρ, et forte etiam illud: *Aqua haeret.*

XIV. Vtra-

XIV. Vtraque vero audita parte, iudices suffragia dabant per calculos, et iudicabant.

Xenophont. *Sympof.* p. m. 704. ad quem locum et Sigon. p. 527. prouocat; vbi plura de calculis. conf. Pollux VIII, 5. fegm. 16.

XV. Si damnaffent reum, multabant pecunia, vel alia aliqua poena. Si capitis damnaffent, mox tradebant vndecemuiris a), qui κατ' ἐξοχὴν dicti ὁι Ἕνδεκα b).

a) Lyfias κατὰ τῶν σιτοπώλων ab init.

b) Schol. Ariftoph. *ad Vefp.* v. 1103. et Νομοφύλακες et Θεσμοφύλακες et Ἄρχοντες dicti videntur. Vide Viros doctos ad Polluc. VIII, 9. fegm. 102.

XVI. Quem vero pecunia multauerant, tradebant iis, qui πράκτορες, id eft, *exactores* dicti.

Demofth. *in Theocrinem* p. 510. A. *in Ariftogit.* p. 494. B. Mentio eorum etiam in Euangelio Lucae XII, 58.

XVII. Si litem aeftimatam foluere non poffet, in vincula coniiciebatur.

Nepos *Miltiad.* c. 7.

XVIII. Quin imo filius infamis erat, et fi parens in carcere mortuus effet, in vinculis iisdem tenebatur.

Nepos *in Cimone* c. I.

In hunc morem inuehitur Demofth. *Epift. III.* de Lycurgi Liberis p. 114.

XIX. Ceterum merces, quam accipiebant hi iudices Heliaftae pro fingulis caufis, quas iudicauerant, erat τριώβολος.

Obolum vnum tantum heliafticum fe accepiffe ait Strepfiades apud Ariftoph. *in Nub.* 861. De duobus obolis mentio fit a Schol. *ad Ran.* v. 140. ac fimul de tribus vid. Pollux VIII, 9. fegm. 113. et 5. fegm. 20.

CAP.

CAP. XIV.

DE IVDICIIS ET ACTIONIBVS FORENSIBVS.

I. Iudicia erant vel *publica*, vel *priuata*.

II. *Publica* vocantur κατηγορίαι a), *priuata* δίκαι b).

a) Δίκαι δημόσιαι vel δίκαι δημόσια nempe δεδικασμέναι apud Demosth. *in Timocratem* p. 469. B. Sunt autem iudicia publica, quae ex *legibus publicis* descendunt. Leges porro *publicae*, quae de *publicis criminibus* latae. Ita Salmas. *de Modo Vsurar.* p. 106. sqq. vbi plura.

b) Δίκαι ἴδιαι seu ἰδιωτικαί. Demosth. ibid. et Salmas. *l. c.*

III. Κατηγοριῶν variae erant species:

1. Γραφὴ, quae erat variorum criminum publicorum a), vt φόνου, τραύματος ἐκ προνοίας, πυρκαϊᾶς, φαρμάκου, βουλεύσεως, ἱεροσυλίας, ἀσεβείας, προδοσίας, ἑταιρήσεως, μοιχείας, ἀγαμίου, ἀστρατείας, λειποστρατίου, λειποταξίου, συκοφαντίας &c. b).
2. Φάσις c).
3. Ἔνδειξις d).
4. Ἀπαγωγή e).
5. Ἐφήγησις f).
6. Ἀνδρολήψιον g).
7. Εἰσαγγελία h).

a) Harpocrat. in γραφή. Salmas. *de Modo Vsurar.* p. 108. Heraldus *ad Ius Att.* p. 195.

b) i. e. *caedis*, *vulneris de industria* (inflicti), *incendii*, *veneficii*, *insidiarum*, *sacrilegii*, *impietatis*, *proditionis*, *impudicitiae*, *adulterii*, *coelibatus*, *neglectae militiae*,

militiae, *desertae militiae*, *deserti ordinis*, *calumniationis* &c.

Ita fere enumerat crimina publica Sigon. *de rep. Athen. III*, 1. p. 509. Sed adeundus et Pollux VIII, 6. segm. 40.

c) i. e. *delatio* et *patefactio delictorum occultorum.* Sigon. *l. c.* Pollux VIII, 6. segm. 47. Est vero vox ἀπὸ τοῦ φαίνειν.

d) Actio in eos, qui quum aes publicum non dissoluissent, ideoque infames essent, tamen magistratum gerere, aut iudicare parati erant. Nam hos cuiuis ciuium licuit ἐνδείκνυσθαι, *indicare.* Mentionem facit Demosth. *in Timocrat.* p. 464. C. Vid. Vlpian. p. 239. B. Schol. Aristoph. *ad Vesp.* v. 1103. Salmas. *de Modo Vsurar.* p. 779. sqq. Meminit et Andocid. *de Mysteriis* p. 185.

e) *Actio in fures et grassatores, quos quis absentes* ἐνδεικνῦναι, *praesentes autem, et in ipso furto deprehensos abducere poterat.* Sigon. p. 511. Vlpian. *in Timocrat.* p. 239. B. Lysias *in Agoratum* sub fin. pag. 126. Salmas. *de Modo Vsurar.* p. 773. sqq.

f) i. e. *fontis delitescentis submonstratio.* Sigon. p. 511. Salmas. *de M. V.* p. 777. sq. Pollux VIII, 6. segm. 50.

g) i. e. *Actio aduersus eos, qui delitescentes apud se homicidas se dedituros recusarent.* Pollux *l. c.* Harpocrat. in hac voce. Salmas. *de M. V.* p. 212. sq.

h) *Actio aduersus eum, qui in iis rebus, de quibus nullae leges sunt, deliquit*, siue magistratus sit, siue orator. Ita Sigon. *l. c.* p. 495. vid. Harpocrat. in hac voce. Pollux VIII, 6. segm. 51. Salmas. *de M. V.* p. 589. Heraldi *Obss. ad Ius Attic.* p. 220. seq.

IV. Δικῶν varia itidem genera a), vt κακηγορίας, αἰκίας, βίας, παρανοίας, κακώσεως, ψευδομαρτυρίας, παρακαταθήκης, συμβολαίων, μισθώσεως οἴκου, ἀποστασίου, ἀποπομπῆς, κλοπῆς &c. b).

a) Ita

a) Ita fere τὰ τῶν ἰδιωτικῶν δικῶν ὀνόματα recensentur a Sigonio *l. c.* p. 512. A quo non multum differt Pollux VIII, 6. segm. 31.

b) i. e. *conuicii, verberationis, violentiae, dementiae, malae tractationis, falsi testimonii, depositi, commerciorum, domus locationis, deserti patrocinii, repudii, furti* &c.

Pro παρανοίας Sigonius habet παροινίας *ebrietatis*, id quod e Polluce VIII, 9. segm. 89. posse confirmari videtur. Sed fortasse Bosius noster quorumdam MSCtorum Pollucis lectionem probandam putauit, quae diserte exhibent παρανοίας; quae lectio et ob ea, quae Iungermannus ad Pollucem adfert, defendi potest, et ob locum Ciceronis *de Senect. c VII. de Sophocle a filiis in iudicium vocato, quod videretur desipere:* maxime vero ob ea, quae leguntur apud Xenophont. *in Memorab.* I, 2. §. 49. et apud Aristoph. *in Nub.* v. 843.



CAP. XV.

DE SVPPLICIIS ET POENIS APVD ATHENIENSES.

I. Poenae praecipuae et vsitatiores erant [a]:

1. Ἀτιμία, *infamia*, et *publica ignominia* [b].
2. Δουλεία, qua reus in *seruilem* conditionem redigebatur [c].
3. Στίγματα, notae, quae fronti, vel manibus seruorum, si aufugissent, aut aliquid grauius deliquissent, candenti ferro inurebantur [d].
4. Στήλη, poena, qua columnae alicui maiusculis characteribus inscribebatur facinorosi crimen [e].

a) Pollux

a) Pollux VIII, 7. segm. 69. haec *poenarum*, τιμημάτων genera omnia, praeter δουλείας, recenset.

b) Huius poenae in Legibus Atticis frequens mentio. Vid. Diog. Laert I, 55. Quem locum si cum Aeschine *in Timarch.* p. 174. C. conferas intelliges hac ἀτιμίᾳ notatis interdictum fuisse iure concionandi; Sed interdictum aliis etiam iuribus ciuium, maxime honorum potestate. Vid. Sigon. p. 516. praecipue vero Cl. Krebsius *in Commentatione de Stelitis Atheniensium* p. 6. sq.

c) Hanc poenam subierunt, quicumque ex lege vendebantur. Vid. argumentum Orat. Demosth. *contra Eubulidem* p. 535. C. Plutarch. *in Solone* p. 91. A.

d) De hac seruorum poena Lipsius *Elect. II*, 15. et Hermannus Hugo *de prima scribendi origine* c. 19. cum Obseru. Trotzii p. 189. sq. Vid. Pollux III, 8. segm. 79.

e) De hac poena Demosth. *Philipp. III.* p. 49. A. Pollux VIII, 7. segm. 73. et alibi. Ex instituto de ea egit paulo ante laudatus Krebsius *in diss. de Stelitis Atheniensium.*

5. Δεσμὸς, *vinculorum poena*, quae diuersi generis erant:

1. Κύφων, vinculum ligneum, quo ceruices noxiorum deprimebantur [a]. Alio nomine κλοῖος dicitur et κλῷος [b]).
2. χοῖνιξ erat lignum, cui pedes noxiorum inserebantur, et constringebantur [c]). Alio nomine ξύλον [d]), Attice κᾶλον [e]), etiam ποδοκάκη [f]), et ποδοστράβη dicitur [g]).
3. Σανὶς, tabula, in qua malefici ligabantur [h]).
4. Τροχὸς, rota, ad quam vincti serui, qui fugerant, furtumque fecerant, verberibus caedebantur [i]).

 a) Ari-

a) Ariſtoph. *Plut.* v. 458. c. Scholiis: Sic dictum, quod caput κύφειν cogeret. Latinis *Cuſpus*, ſi Salmaſius audiendus *de M. V.* p. 814. vel potius Suidas.

b) Suidas in κύφων.

c) Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* v. 276. Salmaſ. *ad Achill. Tat.* p. 648. ſqq.

d) Ariſtoph. *Equ.* 393. ξύλον τετρημένον vocatur. *Lyſiſtr.* 681. et ξύλον πεντεσύριγγον *Equ.* 1046. ab eodem.

e) Heſychio dicitur Κάλιος. Sed in καλίζωνοι, κάλα, inquit, τὰ ξύλα.

f) ποδοκάκκη edidit Io. Taylor. *in Orat. I. Lyſiae aduerſus Theomneſtum* p. 81. vbi Lyſias ipſe explicat verba e lege Solonis ἐν τῇ ποδοκάκκῃ δεδέσθαι per ἐν τῷ ξύλῳ δεδέσθαι; vid. Demoſth. *in Timocratem* p. 475. B. et Vuolfius ad Act. XVI, 24.

g) Schol. Ariſtoph. *ad Equ.* v. 366. latine *neruus* Gell. XX, 1.

h) Ariſtoph. *Theſmoph.* v. 938. et 947.

i) Schol. ad Ariſtoph. *Plut.* v. 876. etiam ξυλοπέδη dicitur.

6. Φυγὴ *exilium*, quo quis expellebatur patria ſine ſpe reditus a). Poterat tamen ab eo magiſtratu, qui illum pepulerat, reuocari domum. Exulum bona proſcribebantur, et publicabantur. Non certus locus ipſis praeſcribebatur b).

a) Suid. in Ὀστρακισμός.

b) Schol. Ariſtoph. *ad Equ.* v. 851. et *ad Veſp.* v. 941.

7. *Oſtraciſmus*, ſpecies quaedam exilii, quo ciuem potentem, quem pernicioſum iudicabant, per X. annos ab vrbe abeſſe iubebant a), communibus ſuffragiis datis per teſtulam, quae graece ὄστρακον, vnde nomen Ὀστρακισμός b).

Si

Si non 6000. testularum essent, ratus non erat Ostracismus c). Conuenit *Ostracismus* cum *Exilio* in genere, quia vterque expellebatur patria d); Differt autem ab *Exilio* in eo, quod *exulum* bona proscribebantur, et publicabantur, non item τῶν ἐξοστρακισθέντων e). *His* etiam praescriptus erat locus, *illis* non f). Quando institutus sit Ostracismus, dubium est. Alii Hippiam g), alii Clisthenem eius auctorem faciunt h). Desiit in Hyperbolo, homine improbo, vnico hoc exilii genere multato i). Ab Atheniensibus transsumserunt Syracusani, sed hi pro ὀστράκοις adhibuere πέταλα, *folia*, vnde dictus Πεταλισμός k).

a) Aristot. *Polit. III*, 13.
b) Diodor. Sic. XI. c. 55. p. 41. Plutarch. *in Aristide* p. 322. E. *in Pericle* p. 157. B. *in Alcibiade* p. 197. A.
c) Schol. Aristoph. *ad Equ.* v. 851. Plutarch. *l. c.* et Pollux VIII, 5. segm. 20.
d) Schol. Aristoph. *ad Vesp.* v. 941.
e) Schol. Aristoph. *l. c.*
f) Suidas in Ὀστρακισμὸς et Schol. Aristoph. *l. c.*
g) Heraclides *de Rebuspublicis* apud Meurs. *Lectt. Attic. V*, 18.
h) Aelian. *V. H. XIII*, 24. Alii alios instituti auctores narrant, quos vide apud Meursium *l. c.* Clisthenem fuisse auctorem verisimile est. Nam et Diodor. Sic. post eiectos Pisistratidas institutum Ostracismum tradit, et Harpocration primum Hipparchum Pisistrato propinquum fuisse Ostracismo eiectum, et Aristoteles *l. c.* testatur, Clisthenem voluisse αὐξῆσαι τὴν δημοκρατίαν.
i) Schol. Aristoph. *ad Equ.* v. 851. *Plutarch. in Aristide* p. 322. D. *in Nicia* p. 530. D.
k) Diodor. Sic. XI. c. 87. p. 65. Hesych. in Πεταλισμός.

CAP.



CAP. XVI.

DE CAPITIS SVPPLICIIS.

I. *Supplicia capitis* apud Graecos, praecipue Athenienses, erant:

1. Ξίφος, *Gladii supplicium* a).
2. Λιθοβολία, *Lapidatio* b).
3. Κατακρημνισμὸς, *Praecipitatio de rupe* c).
4. Καταποντισμὸς, *Demersio* d).
5. Φάρμακον, *Venenum* e).
6. Βάραθρον, *Deiectio in barathrum, locum profundum* f).
7. Τυμπανισμὸς, *Verberatio ad necem, facta per stipites* g).
8. Βρόχος, *Laqueus*, seu *Suspensio* h).
9. Πῦρ, *Ignis*, siue *Combustio*.

a) Pollux VIII, 7. segm. 71. inter Ἐργαλεῖα τοῦ δημίου *instrumenta rerum capitalium vindicis* refert ξίφος.

b) Aelian. *V. H. V*, 19. Cic *de Offic. III*, 11. vid. Meursi. *ad Lycophr.* v. 331. περὶ λιθοβολίας Maussac. ad Plutarch. de Fluuiis *in Geographis Minor.* T. II. p. 11. in Annott. calci subiectis.

c) Eurip. *Troad.* v. 720. Pausan. *Phocic.* c. II. p. 802. Aelian. *V. H. XI*, 5. cf. Henelii *Otium Vratislauiense* c. X.

d) Schol. Aristoph. *ad Equ.* v. 1360. v. Potter. *ad Lycophr.* v. 239. et Vuolfii *Cur. Philol.* ad Matth. XVIII, 6.

e) Aelian. *V. H. I*, 16. Plato *in Phaed.* ab init. et sub fin.

f) Aristoph. *Plut.* v. 431. cum Schol. Harpocrat. in hac voce, et Vales. ad eum p. 30. περὶ βαράθρου Maussac. ad Plutarch. de Flumin. p. 17.

g) Schol. Aristoph. v. 476. Multa de hac poena habet Gatakerus *in Aduersar. Misc.* c. XLVI. p. 907. conf. Vuolfius *in Cur. Philol.* ad Ebr. XI, 35.

h) Pollux VIII, 7. segm. 71. instrumentis carnificis adnumerat βρόχον.

PARS

PARS TERTIA.
DE
REBVS MILITARIBVS.

CAP. I.
DE MILITIA TERRESTRI.

I. In exercitu Graecorum erant:

1. *Pedites.*
2. *Curribus vecti.*
3. *Equis vecti.*

Vid. Aelian. *Tactic.* c. 2. vbi sic vocantur, 1) τὸ πεζικόν, 2) τὸ ἐπ' ὀχημάτων, 3) τὸ ἐφ' ἵππων.

II. *Peditum* genera tria:

1. Ὁπλῖται, *grauis armaturae milites.*
2. Ψιλοὶ, *leuis armaturae milites.*
3. Πελτασαὶ, *qui peltam gerebant*, licet hi aliquando sub ψιλοῖς comprehensi, opponantur ὁπλίταις.

Aelian. *Tact.* c. 2. p. 14. Arrian. *Tact.* p. 10. Suid. in ὁπλῖται. De *pelta* Pollux I, 10. segm. 134. et quos laudant Interpretes ad Nepot. *Iphicrat.* c. I. *Peltastas* vocat *cetratos* Liu. XXXI, 36.

III. *Curribus vecti* a). Mos ex *curru* pugnandi antiquior apud Graecos videtur, quam ex equo b).

a) Arrian. p. 53.

b) Nam apud Homerum heroes in praelium semper curru, numquam *equis* vehuntur. e. g. Ιλ. β. Catal. Nau. v. 282. Ιλ. ψ. v. 501. seq. Itaque Lucretii opinio V. v. 1296. verisimilitudine caret. Conf. Palaephatus

phatus c. I. Hermannus Hugo *de Milit. Equ. I*, 6. p. 37. sq. Hinc inepte Zoilus reprehendit Homerum ad Ιλ. ε. v. 20. in Scholiis minoribus.

IV. Currus plerique duobus trahebantur equis.

Homer. Ιλ. ε. v. 195. sq. Ιλ. τ. 400. Virg. *Aen. VII*, 280. Accessit tamen nonnumquam tertius Homer. Ιλ. π. 471.

V. In quouis curru vehebantur duo, vnde δίφρου nomen a). Horum alter ἡνίοχος *auriga*, alter παραιβάτης, qui monstrabat aurigae, quo flectendum esset b). *Hic*, si cominus pugnandum esset, de curru desiliebat c).

a) Est enim δίφρος, quasi δίφορος. Eustath. ad Ιλ. ε. p. 1154. lin. 39.

b) Eustath. *l. c.* et ad Ιλ. χ. p. 1380. lin. 13.

c) Homer. Ιλ. ρ. v. 480. et passim. vid. Herm. Hugo *l. c.* p. 42.

VI. *Equis vecti.* Inter Graecos nobilissimi equitandi arte fuere Thessali, eorumque equitatus maxime celebratus a). Lapithae primi traduntur vsi equo, quod pro portento habitum aliis b). Vnde fabulae de Centauris et Hippocentauris c).

a) Xenoph. *de Agesilao* p. 522. Polyb. IV, p. 278. Pausan. *Phocic. I.* p. 799. Iustin. VII, 6. Herm. Hugo *de Milit. Equestr. I*, 2, p. 10. sq.

b) Virg. *Georg. III*, 155. Sed quis primus homines equo vehi docuerit, de eo non conuenit inter auctores. Vid. Brunnerus *ad Palaeph. I.* p. 89.

c) Palaeph. περὶ ἀπίστων c. I. conf. Aelian. *V. H.* IX, 16.

VII. Apud Athenienses nemo in equitum numerum admittebatur, nisi prius esset probatus ab

ab Hipparcho, vel Phylarcho et Senatu Quingentorum.

Xenoph. *Hipparch.* p. 753. Huc pertinet δοκιμασία equitum, de qua Lyſias κατὰ Ἀλκιβιάδου λιποταξ. p. 132. Petitus *ad Legg. Attic.* p. 550.

VIII. Requirebantur in *equite* duo, *bonorum copia* et *corporis robur.*

Xenoph. *Hipparch.* p. 753.
Petitus *l. c.* p. 552.

IX. In equo requirebatur, vt eſſet non meticuloſus, non indomitus, et vt ſeſſorem admitteret, eique pareret: alioquin reiiciebatur.

Xenoph. *Hipparch.* p. 753. *Memorab.* III, 3. §. 4. Petit. *ad Legg. Attic.* p. 551.

X. Periculum huius rei fiebat τοῦ κώδωνος ψόφῳ i. e. *ſonitu tintinnabuli* a). Vnde κωδωνίζειν eſt *probare* b).

a) Schol. Ariſtoph. *ad Ran.* v. 78. et Suidas in κωδωνίσαι.

b) Ariſtoph. *Ran.* v. 735. Heſych. in Κωδωνίσω. Aliam huius translationis originem tradit Vlpian. *ad Orat. de Falſa Legat.* p. 105. B.

XI. Equi longa attriti militia excuſabantur. Hi in maxillis notabantur figura aliqua, quae graece τροχὸς dicitur a), etiam τρυσίππιον b). Vnde prouerbium ἐπιβάλλειν τρυσίππιον, pro *excuſatum habere* c).

a) Heſych. in ἵππου τροχός.

b) Heſych. in τρυσίππιον. Kuſterus *ad Suid.* in ἵππῳ γηράσκοντι.

c) Ex Eupolide adducit Euſtath. ad Οδ. δ. p. 197. lin. 44. Vid. quae viri docti notant ad Polluc. VII, 33. ſegm. 186.

XII. Equi-

XII. Equitum varia reperiuntur nomina pro armaturae varietate, vt δορατοφόροι, κοντοφόροι, ἀκροβολισαὶ, ἱπποτοξόται, ἄμφιπποι, διμάχαι, κατάφρακτοι, et μὴ κατάφρακτοι.

Explicantur haec vocabula ab Aeliano *in Tact. II.* p. 14. sq. ab Arriano p. 15. De ἀμφίπποις vide eumdem p. 8. de καταφράκτοις et ἀφράκτοις p. 13. et 14. De διμάχαις Hesych. in h. v. et Polluc. I, 10. segm. 132.

XIII. Καταφράκτων equi tegebantur, et ornabantur variis munimentis et ornamentis, qualia sunt προμετωπίδια, παρώτια, παρήϊα, προστερνίδια, παραπλευρίδια, παραμηρίδια, παρακνημίδια a), στρώματα b), φάλαρα c).

a) i. e. *frontalia*, *aurium* et *maxillarum tegmina*, *pectoralia*, *laterum tegumenta*, *femorum munimenta*, *ocreae*. Pollux *I*, 10. segm. 140. vbi pro παρώτια legitur etiam παρώπια i. e. *tegumenta oculorum equinorum*. Vid. Achill. Tat. I. p. 49. Gell. V, 5. Apulei. *in Milef.* X. p. 224. et *de Deo Socrat.*

b) i. e. *strata equorum*. Xenoph. *Cyropaed.* VIII. sub fin. p. 190. Dicuntur et ἔποχον Xenoph. περὶ Ἱππικῆς sub fin.

c) i. e. *equorum equitumque ornamenta*. Pollux X, 12. segm. 54. *Esse equitum etiam ornamenta*, manifestum ex Liu. IX, 46. Vid. Herm. Hugo *l. c. II*, 3.

XIV. Militiae nomina dare ex lege tenebantur Athenienses a), quando relati erant in album Lexiarchicum b), siue, quum annum duodeuicesimum attigerant c).

a) Legis meminit Vlpian. *in Olynth. III.* p. 29. B.

b) Lycurgus *adu. Leocratem* p. 146. Pollux VIII, 9. segm. 105.

c) De hoc anno testatur Vlpian. *l. c.* at de anno vigesimo Pollux *l, c.* Sed facilis eorum conciliatio.

XV. No-

XV. Nomina eorum, qui militiae ſe dabant, inſcribebantur tabulis publicis a). Conſcribere milites graece dicitur ϛρατολογεῖν b), καταλέγειν c), καταγράφειν, vel καταγραφὴν ſiue κατάλογον ποιεῖσθαι d).

a) Schol. Ariſtoph. *ad Equit.* v. 1366. Tabulae illae publicae dicuntur κατάλογος. Vnde Xenoph. *Memorab.* III, 4. §. 1. ἐκ καταλόγου ϛρατευόμενος, *qui militat tamquam ordinarius et ex ciuibus lectus miles.*

b) e. g. a Pluturcho *in Mario* p. 410. A.

c) Ariſtoph. *in Equit.* v. 1064.

d) Polyb. *de Milit. Rom.* c. I. §. 2.

XVI. Obſtringebant ſe ſacramento militari, qui nomina dederant a). Et ſcutum et haſtam accipiebant publice b).

a) Hoc ſacramentum legitur apud Lycurgum *adu. Leocratem* p. 146. ſq. et Polluc. VIII, 9. ſegm. 105.

b) Harpocrat. in περίπολος.

XVII. Prima militiae tirocinia deponebant obeundo agro Attico, eumque contra omnem vim tutando. Dictique ex eo περίπολοι.

Pollux VIII, 9. ſegm. 105. Harpocrat. in περίπολος. Alludit Ariſtoph. *in Au.* v. 1177.

XVIII. Durabat aetas militaris per ſpatium annorum XLII. ab anno vitae XVIII. ad annum LX.

Huic Auctoris noſtri ſententiae non poſſum ſubſcribere. Nam lex apud Vlpian. *ad Olynth. III.* p. 29. B. iubet ad quadrageſimum vsque annum militare. Et hanc legem reſpicere videtur Macrob. *in Somn. Scip. I,* 6. p. 29. vt obſeruat Lipſius *de Milit. Rom. I.* dial. 2. Difficultas quidem hic non mediocris oritur ab Eponymis illis, qui vocantur λήξεως vel etiam ἡλικιῶν, de quibus Harpocrat. in Ἐπώνυμοι et Suidas in eadem voce et alibi, quae difficultas et Boſium et Sigonium di-

de Rep. Athen. IV, 5. p. 554. seduxisse videtur; sed sustulisse illam difficultatem Petitus *ad Legg. Attic.* p. 549. videtur, et si forte prorsus sustulisse neges, non tamen est, cur a claris verbis legis discedas.

XIX. Vacationem a militia habebant, et excusabantur *seniores* et *prouectioris aetatis homines, qui morbo laborabant, publicani* a), *infames* &c. b).

a) Demosth. *in Neaeram* p. 521. A.

b) Lysias κατὰ Ἀλκιβιάδȣ Ἀςρατείας p. 142. Meurs. *in Themide Attic. I*, 10. p. 26. sq.

XX. Excludebantur militia etiam *mancipia.* Haec numquam nisi in summo discrimine conscribebantur.

Aristoph. *Ran.* v. 33. et ad h. l. Schol. et Spanhemius. Suidas in οἴμοι. Pausan. *Achaic.* c. XV. p. 559. Petitus *ad Legg. Attic.* p. 547.

XXI. Militiam detrectare Athenis nemini ex ciuibus licebat a): ceteroquin amittebat ius suffragii reliquaque ciuium priuilegia b).

a) Hoc manifestum ex iureiurando epheborum apud Vlpian. *ad Orat. de Falsa Legat.* p. 117. B. et apud alios. Vid. Petitus p. 153. sq.

b) Aeschines *contra Ctesiphont.* p. 299. B. Petitus p. 556. sq. conf. Suid. in Ἀναυμαχίȣ.

XXII. Et ne hi, qui militiae nomen dederant, desererent, notae inurebantur eorum manibus, quae ςίγματα dicuntur.

Huic obseruationi in Compendio Antiquitatum Rom. iustior videtur locus esse, quam hic. Nam stigmatum militarium sub Caesaribus demum fit mentio. Interim de iis consule Lips. *de Milit. Rom. I*, 9. Herm. Hugon. *de scribendi orig.* c. XIX. p. 196. et qui a Vuolfio allegantur *in Curis Phil.* ad Gal. VI, 17. Aetius quidem Amidenus, medicus Graecus VIII, 12. scribit: Στίγματα καλȣ̃σι τὰ ἐπὶ τȣ̃ προσώπȣ, ἢ ἄλλȣ τινος μέρȣς τȣ̃

τοῦ σώματος ἐπιγραφόμενα, ὅια τῶν ϛρατευομένων ἐν ταῖς χερσίν. Quibus verbis Aetius docet, et quid fuerint ſtigmata, et fuiſſe militantium manibus inſcripta. Sed quum vixerit hic medicus ſub Iuſtiniano, qua tempeſtate rerum domini erant Romani; eius teſtimonio non ſatis recte probaueris, morem ſtigmata militum manibus inurendi fuiſſe veterum Graecorum.

XXIII. Militabant autem antiquitus proprio aere.

Hoc tum aliunde, tum inde patet, quod ſecundum Vlpianum *in Orat.* περὶ συντάξεως p. 50. A. Pericles primus conſtituit militanti populo ſtipendium.

XXIV. Ex Graecis primi Cares mercede militaſſe traduntur, quare ea gens vt *vilis* et *mercenaria* habita a). Vnde prouerb. Καρικοὶ et καρίμοιροι b).

a) Suidas in Ἐν Καρὶ τὸν κίνδυνον et Ἐν Καρὸς ἅπετο τάξει. Cic. *pro Flacco* c. XXVII. Strabo XIV. p. 456. Michael Apoſtolius VIII, 34. et XV, 59. Meurſ. *ad Lycophr.* v. 1384.

b) Heſych. in his vocibus. Simile prouerb. v. apud Homer. Ιλ. ι. v. 378. Vid. Hemſterh. ad Ariſtoph. *Plut.* p. 6.

XXV. Sed poſtea per totam Graeciam inualuit hoc, vt mercede et alienis ſtipendiis militarent, non ſolum pro patria, ſed etiam pro exteris.

Ariſtophanes ſaepe hunc morem tangit e. g. *in Au.* v. 1367. Vid. Polyaen. III, 9. §. 35. et 51. Ita Plato prae paupertate it militatum. Aelian. *V. H.* III, 27. Ita Ageſilaus pro Aegypti rege conductus militat. Plutarch. *Ageſil.* p. 616. C. D. Conf. Xenoph. *in Ageſilao* p. 124. ſq.

XXVI. Apud Athenienſes primus Pericles induxit morem conducendi pretio milites.

 Vlpian.

Vlpian. *ad Orat. de Syntaxi* p. 50. A. Meurf. *ad Lycophr.* v. 1384.

XXVII. Stipendium non femper fuit idem.

XXVIII. Initio pedites fingulis diebus duos obolos accipiebant a), poftea quatuor b); vnde τετρωβόλȣ βίος pro *victu militari* c) et τετρωβολίζειν pro *militare* d).

a) Demofth. *Philipp. I*, p. 17. C.

b) Meurf. *Lectt. Attic. II*, 8. Petitus *ad Legg. Attic.* p. 554.

c) Euftath. ad Οδ. α. p. 39. lin. 42.

d) Pollux IX, 6. fegm. 64.



CAP. II.

DE ARMIS MILITIAE.

I. Arma militiae trium funt generum, vel *ad corpus muniendum*, vel *ad hoftem laedendum*, vel *ad vrbem oppugnandam*.

De diuerfis generibus armorum vid. Pollux I, 10. fegm. 133. fqq. vbi arma et ad tegendum et ad petendum comparata communi nomine ὅπλα; arma vero ad vrbem oppugnandam peculiari μηχανήματα dicuntur.

II. *Arma, quibus corpus tegebant*, erant:

1. περικεφαλαία *galea* a), quae etiam dicitur κράνος b), κόρυς c), κυνέη d).
2. Θώραξ, *lorica* e).
3. Ζωστὴρ vel ζώνη, *cingulum* f).
4. Κνημῖδες, *ocreae* g).
5. Ἀσπὶς, *clypeus* h), vel Θυρεὸς *fcutum* i).

a) Pollux

a) Pollux I, 10. segm. 135.
b) Pollux *l. c.*
c) Theocrit. Idyll. XVI. v. 81.
d) Homer. ιλ. κ. v. 257. et 335.
e) Homer. ιλ. γ. v. 332. Thoracis descriptio legitur apud Pausan. *Phocic.* c. XXVI. p. 863.
f) Homer. ιλ. δ. v. 132. sqq. ιλ. λ. v. 234. Dicitur et μίτρη ιλ. ε. v. 857. De quibus vocibus vid. Eustath. ad ιλ. δ. p. 345.
g) Homer. ιλ. γ. v. 330. et υ. v. 369.
h) Homer. ιλ. ε. v. 453. et passim.
i) Polyaen. VIII, 7. 2. Differt ἀσπὶς a θυρεῷ. Ἀσπὶς erat figura rotunda, θυρεὸς oblonga. Eadem differentia inter *clypeum* et *scutum* vid. Turneb. *Aduers.* XI, 27. Periz. *ad Aelian. V. H. III*, 24. Adde Eustath. ad 'οδ. p. 331. l. 43. Accurate hoc argumentum, et ex instituto tractat Blasius Caryophilus *de Veterum clypeis* Lugd. Bat. 1751.

III. *Galea* saepe fiebat ex *aere*, sed potissimum ex *pellibus animalium*, vnde λεοντέη [a]), ταυρέη [b]), αἰγέη [c]), ἀλωπεκέη, κυνέη [d]) &c.

a) Sc. περικεφαλαία i. e. *galea e pelle leonina confecta.*
b) i. e. *galea e pelle tauri.* Homer. ιλ. κ. v. 258.
c) i. e. *galea e pelle caprae.* vid. Eustath. *ad* οδ. p. 832. lin. 48. Hesych. in αἰγέην.
d) i. e. *galea e pelle vulpis.* Homer. ιλ. γ. v. 336. conf. Eustath. p. 319. lin. 31.

IV. A latere galeae erat lorum, ὀχεὺς dictum, quo alligabatur ceruicibus militis.

Homer. ιλ. γ. v. 372. Eustath. ad h. l. p. 323. lin. 14.

V. Galea habebat cristam, quae graece φάλος [a]), et λόφος [b]).

a) Homer. ιλ. γ. v. 362. vbi tamen aliud quidquam λόφος notare videtur. v. Eustath. p. 321. lin. 49. sq. et p. 457. lin. 37. sq. Interim Hesych. φάλος,

φάλος, inquit, ὁ λόφος τῆς περικεφαλαίας, vid. Lipſ. *de Milit. Rom. III*, 5.

b) Homer. ιλ. γ. v. 337. et τ. v. 383.

VI. Θώραξ erat munimentum pectoris, quod conficiebatur vel ex *lino* a), vel ex *aere* b), vel *corio* et *aere* c).

a) Hom. ιλ. β. v. 529. ſeu Catal. Nau. v. 36. et v. 337. Pauſan. *Eliac. Poſter.* c. XIX. p. 499. *Attic.* c. XXI. p. 50.

b) Hom. ιλ. ν. v. 371. et 397. ιλ. α. v. 371. Pauſan. *Phocic.* c. XXVI. p. 863.

c) De his paulo poſt §. 8.

VII. *Aereus* erat ex *lamina erecta*, vocaturque θώραξ ϛάδιος a) vel ϛατός b).

a) Apollon. Rhod. *Argonaut. III.* v. 1225. p. 155.

b) Heſych. Στάδιος χιτὼν, ϛατὸς θώραξ. vid. Salmaſ. *ad Tertullian. de pallio* p. 105. et 50. Euſtath. ad ιλ. δ. p. 345. lin. 21. ſq.

VIII. Ex *corio* et *aere* ſimul qui confectus erat, ita ſe habebat: corio apponebantur *hami* vel *annuli*, *catenarum* inſtar, qualis thorax ἁλυσιδωτὸς dictus a), ſiue *ſquamaram* inſtar, qualis λεπιδωτὸς b), et φολιδωτός c).

a) Schol. Apollon *Rhod.* ad Lib. III. v. 1225. p. 234. Talis θώραξ Virgilio *Aen. III*, v. 467. eſt *lorica conſerta hamis.* Huiusmodi loricam innuere videtur Pauſan. *Boeot.* c. XXVI, p. 761. vbi tamen pro vulgato φωλίδων neceſſario legendum puto φολίδων Homer. ιλ. ε. v. 113. videtur vocare ϛρεπτὸν vid. Euſtath. p. 400. lin. 17. Confer, quae viri docti notant ad Heſych. in ἁλυσιδωτός.

b) i. e. *lorica ſquamata* Herodot. IX. p. 593. A. De eadem *Aen. IX*, 707.

c) i. e. *thorax ſquamatus* Pollux I, 10. ſegm. 134.

IX. ζωϛὴρ

IX. ζωςὴρ vel ζώνη, *cingulum*, quo tota armatura cingebatur a). Hinc ζώννυσθαι pro *accingere se ad praelium* b).

a) Homer. Ιλ. δ. v. 134. et ad h. l. Eustath. p. 345. lin. 21. Pollux II, 4. segm. 166.

b) Homer. Ιλ. δ. v. 13. Adde Pausan. *Boeot.* XVII. p. 743.

X. κνημῖδες, *ocreae*, seu *tibialia* ex *aere* a), *ferro*, alioue metallo erant b). Latera fibulis adstringebantur ad malleolos c).

a) Alcaeus apud Athenaeum XIV. c. V. sub fin. p. 627.

b) e. g. ex *Oricbalco* Hesiod. *Scut.* v. 122. ex *stanno* Homer. Ιλ. σ. v. 612.

c) Homer. Ιλ. γ. v. 330.

XI. Ἀσπὶς *clypeus* erat vel ex *ligno* a), vel *vimine* b), vel *pellibus* c), qualis clypeus muniebatur aenea lamina d).

a) Plin. IV, 40. Clypei Seruio dicti ἀπὸ τῦ καλύπτειν ad *Aen. II*, 382. *quod corpus celant.* Plinius vero XXXV, 3. ἀπὸ τῦ γλύφειν a *sculpendo*, *caelandoque* nomen deducit, quod imaginibus erant caelati et sculpti. Vid. Blas. Caryophilus de *Veterum clypeis* Lugd. Bat. 1751.

b) Virg. *Aen. VII*, 632. Hesych. Ἰταῖαι, αἱ ἀσπίδες i. e. *salignae*, *clypei*, quod primum ex hac materia conficerentur, in Ἰταῖαι.

c) Homer. Ιλ. ε. v. 452. μ. v. 425.

d) Homer. Ιλ. η. v. 223.

XII. Partes clypei sunt ἄντυξ a), vel ἴτυς, περιφέρεια, κύκλος b), quae notant eius *circumferentiam*, siue *orbem* c): ὀμφαλὸς, *vmbo*, eminentia in medio clypeo d): τελαμὼν *lorum*, quod traiiciebat clypeum, vbi ab humeris dependebat

pendebat e). Πόρπαξ, *annulus*, quo retinebatur clypeus f), pro quo dein ὄχανον *ansa* erat g).

a) Homer. Ιλ. σ. 479.

b) Pollux I, 10. segm. 133. Eustath. ad Ιλ. ε. p. 456. lin. 22.

c) Eustath. ad Ιλ. ζ. p. 483. lin. 12. sq.

d) Pollux *l. c.* Vnde ἀσπὶς ὀμφαλόεσσα Homer. Ιλ. ζ. 118.

e) Homer. Ιλ. σ. v. 480. et π. 802. Eustath. ad Ιλ. β. p. 184. lin. 28. sq.

f) Eustath. *l. c.* lin. 32. Schol. Aristoph. *ad Equit.* v. 845.

g) Ὄχανον ab ἔχω *teneo*. Eustath. *l. c.* et Schol. Aristoph. *l. c.* Pollux I, 10. segm. 133.

XIII. Pingi vtplurimum in illis consueuerunt effigies auium, et quadrupedum, vt aquilarum, leonum, quin imo Deorum, et Solis ac Lunae figurae.

De Scutis Troianis hoc in genere tradit Plinius XXXV, 3. Sic clypeo Achillis continentur coelum cum luna ac sideribus, terra, mare, leones &c. apud Homer. Ιλ. σ. v. 478. sq. Sic scutum Herculis variis picturis exornatum describitur ab Hesiodo *in Scut.* v. 139 seq. Multa huiusmodi clypeorum exempla apud Pausaniam occurrunt e. g. *Messen. XVI.* p. 319. *Phocic. XXVI.* p. 863. conf. Schol. Aristoph. *ad Ran.* v. 960.

XIV. Magni fuere veteres plerique clypei, ita vt totum corpus obtexerint a). Hinc ἀνδρομήκεις b) et ποδηνεκεῖς appellantur c).

a) Tyrtaeus carm. III. v. 23. seq. Virg. *Aen. II,* 227.

b) i. e. *hominis staturam aequantes.* Sic vocantur in Schol. minoribus ad Homer. Ιλ. β. v. 389.

c) Homer.

c) Homer. Ιλ. ο. v. 646. qui alias vocat ἀμφιβρότην ἀσπίδα, Ιλ. β. 389. hoc eſt, τὴν ἀμφὶ τὸν βροτὸν ἄνθρωπον, ἢ τὴν σκέπουσαν ὅλον τὸν ἄνθρωπον. Euſtuth. ad Ιλ. β. p. 184. lin. 36.

XV. Figura *clypei*, ἀσπίδος, fuit rotunda, vnde ἀσπίδες εὔκυκλοι a) et πάντοτε ἴσαι dicuntur b).

a) Homer. Ιλ. ε. v. 453.

b) Homer. Ιλ. μ. v. 294.

XVI. Θυρεὸς vero fuit forma oblonga, latine *ſcutum*.

De hac forma *ſcuti clypeique* Lipſ. *de Milit. Rom. III*, 2. Adde quae ſupra.

XVII. *Arma, quae nocent:*

1. Ἔγχος et δόρυ, *haſta* et *lancea*.
2. Ξίφος, *enſis*.
3. Ἀξίνη et πέλεκυς, *bipennis* et *ſecuris*.
4. Τόξον, *arcus*.
5. Ἀκόντιον, *iaculum*.
6. Σφενδόνη, *funda*.

Pleraque enumerat Pollux I, 10. ſegm. 136. ſq. Et de ſingulis in ſequentibus dicendi erit locus.

XVIII. Ἔγχος et δόρυ conficiebatur ex *ligno* plerumque *fraxino* olim, vnde μελίη a). Αἰχμὴ ſiue *cuſpis* eius erat ex *aere* b), vt et σαυρωτὴρ inferior pars, quae terrae infigebatur c).

a) Homer. Ιλ. τ. 390. π. 143. Euſtath. ad Ιλ. β. p. 213. lin. 34. Plin. XVI, 13.

b) Homer. Ιλ. ζ. v. 320. Euſtath. ad h. l. p. 505. lin. 24.

c) Homer. Ιλ. κ. v. 153. Pollux I, 10. ſegm. 136. Euſtath. ad Ιλ. ν. p. 915. lin. 34. Hier. Magius *Miſcell. III*, 2. p. 126.

XIX. Hasta duplex erat vel ὀρεκτὴ, qua *cominus* a), vel παλτὴ, *qua eminus* pugnabatur, siue *missilis* b).

a) Homer. ιλ. β. v. 543. s. *Catal. Nau.* v. 50.

b) Strabo X. p. 309. vbi multa de vtroque genere hastae. Conf. et Eustath. ad Homer. *l. c.* p. 213. lin. 37. sqq.

XX. Ξίφος, *ensis* olim suspendebatur a baltheo superhumerali a). *Vagina* eius vocabatur κολεός b).

a) Hesiod. *Scut.* v. 221. Homer. ιλ. β. v. 45.

b) Homer. ιλ. γ. v. 271.

XXI. Ἀξίνη et πέλεκυς, *bipennis* et *securis*. Hisce etiam Heroes aliquando pugnasse leguntur.

Τῇ ἀξίνῃ Agamemnonem petit Pisander apud Homer. ιλ. ν. 612. Vtriusque, et bipennis et securis mentio ιλ. ο. v. 711.

XXII. Τόξον, *arcus* erat ex ligno plerumque a). Eius nerui, graece νεῦρα, erant ex pilis equinis, vnde ἱππεῖαι b), vel ex *tergoribus* in corrigias dissectis temporibus Heroicis c). Pars extrema, cui neruus alligabatur, κορώνη dicta d) et fere inaurata erat.

a) Ex cornu etiam Homer. ιλ. δ. v. 105. Lycophr. v. 563.

b) Hesych. in Ἱππέαν vid. Meurs. *ad Lycophr.* *l. l.*

c) Homer. ιλ. δ. v. 122.

d) Idem *ibid.* v. 111.

XXIII. *Tela*, graece βέλη a) et ὀϊστοὶ b) et ἰοὶ c) erant ex leuiore ligno d), cuspides eorum *ferreae* e), veneno aliquando inficiebantur f). Praeterea alae addebantur, quo velocius volarent g).

a) Ho-

a) Homer. ιλ. α. v. 51.

b) Hesiod. *Scut.* v. 130. Homer. ιλ. ε. v. 171.

c) Homer. ιλ. δ. v. 116. Adde Heronem Ctesibium in Βελοποιηκοῖς p. 3. vbi βέλος καλεῖται, inquit, πᾶν τὸ ἐξαποστελλόμενον ὑπὸ τῶν ὀργάνων h. e. *telum dicitur, quidquid eiaculari ope instrumentorum solemus.*

d) Hinc *sagittae* Latinis *virgae* et Graecis ῥάβδοι dictae videntur apud Lipsium *de Milit. Rom.* Poliorcet. IV, 6.

e) Hinc *telum* vocat σίδηρον Homer. ιλ. δ. 123.

f) Homer. οδ. α. v. 261. Virg. *Aen. IX.* v. 773.

g) Idem ιλ. δ. v. 116. ε. 171.

XXIV. Ἀκόντιον, *iaculum*: sed diuersa iaculorum genera habuere, vt ὑσσὸς [a]), αἰγανέη [b]), γρόσφος [c]). Nonnulla ex illis torquebantur loro, quod graece ἀγκύλη i. e. *amentum* dicitur [d]). Vnde huiusmodi iaculum μεσάγκυλον [e]).

a) Polyb. *de Milit. Rom. II.* §. 5.

b) Homer. οδ. δ. v. 626.

c) Eustath. ad Homer. *l. c.* p. 190. lin. 56. sq.

d) Colligitur haec vocis significatio ex Schol. ad Eurip. *Orest.* v. 1477. Hinc Eustathius ad ιλ. β. p. 260. lin. 27. ἀγκύλην dici, ait, τὴν τῆς αἰγανέας λαβὴν, *ansam iaculi.*

e) Eustath. *l. c.* lin. 32. vbi etiam *ipsum iaculum* ἀγκύλην dici testatur.

XXV. Σφενδόνη, *funda*, figuram oualem referebat [a]), et paulatim in duo lora desinebat [b]). Fiebat ex lana aliaque materia [c]). Ea emittebantur sagittae [d]), lapides [e]) et laminae plumbeae [f]).

a) Facile hoc colligitur ex verbis Dionysii *Perieg.* v. 5. sq.

b) Videtur Icon fundae et funditoris balearis apud Stewechium *ad Veget. I,* 16.

c) Ho-

c) Homer. Ιλ. ν. v. 599. seq. et 716. Vid. Eustath. p. 925. lin. 53. vbi etiam ex chordis factam testatur.

d) Conf. Veget. Lib. III. c. 23.

e) Lipſ. *de Milit. Rom. V*, 20. Pollux X, 31. segm. 146.

f) Pollux *l. c.* vocat μολυβδύνας *plumbeos globos*. Latini vocant *plumbum*. Ouid. *Met. II*, 727. *plumbeam glandem*. Lucret. VI, 177.

XXVI. Hactenus de armis, quibus vtebantur in praeliis. Nunc de *armis* siue *machinis*, *quibus vtebantur in obſidionibus*. Graece μάγγανα olim dicebantur a), deinde μηχαναί b).

a) Heſych. Μάγγανα, μηχανήματα.

b) Lipſ. *Poliorcet. I*, 3.

XXVII. Antiquiſſimae machinae videntur fuiſſe κλίμακες a). Erant κλίμακες *ſcalae*, quibus conſcendebantur moenia b).

a) Inuentor earum fertur Capaneus, vnus e ſeptem ducibus, qui Thebas expugnarunt. *Veget. IV*, 21. conf. Diodor. Sic. IV, 67. p. 268. Anthol. IV, 8. εἰς ἀνδριάντα καπανέως. Secundum quosdam interpretes Κρόσσαι apud Homer. Ιλ. μ. 443. ſunt ſcalae: qua de re longa diſputatio apud Euſtath. ad *l. c.* p. 862. lin. 40. ſq.

b) Veget. IV, 21. De ſcalarum conficiendarum ratione, varia earum figura &c. Stewech. *ad Veget.* IV, 2. p. 231. ſq. De aliquot earum generibus Lipſ. *Poliorcet. I*, 6.

XXVIII. Κριός, *aries*, erat lignum C. vel CXX. pedum a), laminis ferreis munitum, capite ferreo, (graece κεφαλὴ b) aut ἐμβολὴ c) dicitur,) non diſſimile arietino capiti, vnde κριός appellatur d). Vtebantur eo ad deſtruendos muros e).

a) De

a) De ariete longo octoginta pedes Appian. *de Bell. Parth.* p. 272. vid. Lipſ. *Poliorcet. III*, 1.

b) Ioſeph. *de Bello Iud. III*, 9.

c) Suid. in Ἐμβολή.

d) Eodem prope modo *aries* deſcribitur a Ioſepho *de B. Iudaico III*, 9. Suida in κριὸς et προτομή.

e) Virgil. *Aen. XII*, 706. Vitruu. X, 19.

XXIX. Ἑλέπολις machina ingens, continens alias minores machinas, ex quibus lapides ceteraque miſſilia emittebantur [a]. Inuenta traditur a Demetrio Poliorceta [b].

a) Deſcriptio huius machinae legitur apud Diodor. Sic. XX, 49. p. 785. &c. 92. p. 817. Ammian. Marcellin. XXIII, p. 414. Vitruu. X. 22.

b) Plutarchus ei inuentionem tribuere videtur *in Demetrio* p. 897. D. ſq. et 898. A. Sed in ea conſtruenda vſus eſt Demetrius labore Epimachi Athenienſis architecti. Vitruu. *l. c.*

XXX. χελώνη, *teſtudo*, machina, qua tegebantur, et tuti erant milites ab hoſtium telis, vt teſtudo a teſta ſua tegitur.

Machinae huius deſcriptio peti poteſt a Liu. XXXIV, 39. XLIV, 9. Athenaeo *de machinis bellicis* apud Turneb. *in Aduerſ. XXIII*, 33. Vitruu. X, 19. De variis illius generibus Lipſ. *Poliorcet. I*, 5. Figuram illius habes apud Lipſ. *l. c.* p. 481. Stewech. ad *Veget.* IV, 14. p. 244. et apud Vitruuium.

XXXI. χῶμα, *agger*, altitudine ſuperans moenia, quae obſidebantur [a]. Latera lapide erant munita [b].

a) Eſt machina bellica ex terra, aliaque materia conſtructa, paulatimque verſus vrbem oppugnandam producta et ſublata, vt ex alto pugnarent milites. Suid. in ἔγεστα. Thucyd. II, 75. Zoſimus II, 25.

b) Lipſ. *Poliorcet. II*, 3.

XXXII.

XXXII. Πύργοι, *turres ex ligno mobiles*, quae aggeri superstruebantur, a rotis agebantur a). Fastigia tegebantur tergoribus crudis b).

a) Diodor. Sic. XIV, 52. p. 276. Hinc Athenaeus vocat Φορητοὺς πύργους apud Turneb. *in Aduers. XXIII*, 31. Vitruuius autem X, 19. *turres ambulatorias*. Appian IV. *Ciuil.* p. 1011. πύργους ἐπτυγμένους, *turres plicatiles*, quia sc. hae turres etiam dissolutae in exercitu circumferri possent, vt loquitur Vitruu. X, 19.

b) Veget. IV, 17. Hoc factum, vt missilia retunderentur.

XXXIII. Γέῤῥαι, *crates vimineae*, quibus capita tegebant milites.

Festus in *Gerrae*. Earum vsus etiam in fossis complendis. Sed hae non elaboratae: illae elaboratae. vid. Lips. *Poliorcet. I*, 7.

XXXIV. καταπέλται sunt machinae, ex quibus sagittae emittebantur a), dictae etiam ὀξυβελεῖς b) et βελοστάσεις c). Aliquando tamen ipsae sagittae, quae ex machinis iis eiiciuntur, sic appellantur d).

a) Schol. Aristoph. *ad Acharn.* v. 159. vbi pro πέλτη videtur καταπέλτη legendum esse, quamquam et Suidas habet πέλτη, in καταπέλτη.

b) Diodor. Sic. XX, 84. p. 810. et 85. p. 812.

c) Idem XX, 86. p. 813. 1 Maccab. VI, 20.

d) e. g. Appian. *de Bellis Pun.* p. 35.

XXXV. Λιθοβόλοι a), πετροβόλοι b), πετροβολικὰ ὄργανα c), vel ἀφετήρια d), et μαγγανικὰ ὄργανα e) sunt machinae, e quibus lapides eiiciebantur.

a) Sc. μηχαναὶ Diodor. Sic. XX, 92. p. 818.

b) Idem XX, 86. p. 812.

c) Etiam

c) Etiam πετροβόλα apud Suidam in hac voce ex Iosepho *de Bello Iudaico III.* p. 845.

d) Suidas in Ἀφετηρία.

Horum ſaepe mentio fit apud Leonem Imperatorem *in Tact.* c. XV. §. 27. 50. 52. ſq. De omnibus conf. Lipſ. *Poliorcet. III,* 3.



CAP. III.

DE PRAEFECTIS EXERCITVVM.

I. Apud ſaeculum prius, cum Reges rerum potirentur in ciuitatibus, illi in bello praeibant, et ſummi Duces erant [a]), vel eligebant Πολέμαρχον [b]). Sic etiam Athenienſes [c]).

a) Ariſtotel. *Polit. III.* c. 14.

b) Pauſan. *Corinth.* c. XIV. p. 142. *Attic.* c. XXXI. p. 77. Sigonius *de rep. Athen. I,* 4. p. 477. et Potterus III, 5. hunc honorem ab Erechtheo Rege in Ionem collatum dicunt, et ad Pauſaniam prouocant. Sed hic eum ab Athenienſibus fuiſſe lectum Polemarchum tradit *Corinth.* l. c. vid. Meurſ. *Lectt. Attic. VI,* 21.

c) Athenienſes ſc. ſub Regibus. Cui rei argumento ſunt, quae proxime praecedunt.

II. Sed poſtea quum imperium penes populum eſſet, vnaquaeque tribus *Praetorem* creabat, Στρατηγὸν dictum, quales decem erant, ſecundum numerum decem tribuum [a]); hi aequa poteſtate gaudebant, et quando ſimul ad expeditionem magni momenti mittebantur, per vices ſuam quisque diem habebat ſummam poteſtatem, ſed iis additus vndecimus, Πολέμαρχος dictus, qui, paribus

paribus ſuffragiis in controuerſiis, alteri parti ſuum adderet b).

a) Cornel. Nepos *in Miltiad.* c. 4. vocat *decem Praetores.* De his Demoſth. *Philipp. I.* p. 17. B. Harpocrat. et Suidas in Στρατηγοί. Perizon. *ad Aelian. V. H. III*, 17. n. 12. et ad V, 13. n. 5. S. R. Erneſti ad Xenophont. *Memorab.* I, 1. §. 18.

b) Haec omnia partim clare ac diſerte dicuntur ab Herodoto VI. pag. 422. partim facile ex eius verbis colliguntur. Conf. Perizon. *ad Aelian. V. H. V*, 13. Sigon. *de rep. Athen. IV*, 5. p. 556.

III. Vt decem erant Στρατηγοὶ, ſic etiam decem Ταξίαρχοι a), qui ſecundum ordinem habebant poſt Στρατηγὺς b).

a) Demoſth. *Philipp. I.* p. 17. B. Decem autem itidem fuerunt pro numero tribuum. Inde ταξιαρχῶν τῆς Φυλῆς apud Demoſth. *in Boeotum* p. 638. A. et Τεμενίδης ὁ τῆς Πανδιονίδος ταξίαρχος i. e. *Temenides tribus Pandionidis taxiarchus* apud Aeſchin. *de Falſa Legat.* p. 270. A.

b) Eos obtinuiſſe imperium poſt Στρατηγὺς, per ſe clarum, et ex Xenophont. *Memorab.* III, 1.

IV. Hi Ταξίαρχοι ordinem militarem inſtruebant a), caſtrorum loca deſignabant, et itinera dirigebant b), et ex armatorum catalogo delebant militem, ſi deliquiſſet c).

a) Mallem: *ordines, ſeu cohortes militares inſtruebant, et in praelium educebant* ex Lyſiae *Orat. pro Mantitheo* ſub fin. p. 149. et Ariſtoph. *Au.* v. 352.

b) Sigon. *de rep. Athen. IV*, 5. p. 557.

c) Lyſias κατὰ Ἀλκιβιάδυ Ἀςρατέιας p. 142.

V. Vt

V. Vt autem Στρατηγοὶ et Ταξίαρχοι b) peditibus, ſic Ἵππαρχοι a) et Φύλαρχοι b) equitibus praefuerunt.

a) Demoſth. *de Corona* p. 339. C. Xenoph. *Memorab.* III, 3. §. 1. ſq.

b) Lyſias *pro Mantitheo* p. 146. Harpocrat. in Φύλαρχος.

VI. Ἵππαρχοι erant *duo* a): Φύλαρχοι vero *decem* b). Illi quidem omni equitatui c): hi vero ſingularum tribuum equitatui praefuerunt d) ita, vt quemadmodum Ταξίαρχοι Praetoribus, ſiue Στρατηγοῖς, ſic Φύλαρχοι Ἱππάρχοις dicto audientes eſſent e).

a) Harpocrat. in Ἵππαρχος.

b) Pollux VIII, 9. ſegm. 87. et 94.

c) Xenoph. in Ἱππαρχικῷ prope init. p. 753.

d) Harpocrat. in Φύλαρχος.

e) Xenoph. *l. c.* et Harpocrat. *l. c.* et ex hoc Suidas in eadem voce.

VII. Fuere praeterea Χιλίαρχοι, Ἑκατόνταρχοι, Πεντηκόνταρχοι, Λοχαγοὶ, Δεκάδαρχοι, Πεντάδαρχοι, Οὐραγοί.

De his omnibus vid. Pollux I, 10. ſegm. 128. ibique Iungermannus n. 74. De Λοχαγοῖς et Λόχῳ ſpeciatim Ariſtoph. Schol. *ad Acharn.* v. 1073. Perizon. *ad Aelian. V. H.* II, 14. n. 5. Adde Arriani *Tactica* p. 13. a quo p. 28. ſqq. et reliqua vocabula hic poſita explicantur.



CAP. IV.

DE VARIIS PARTIBVS EXERCITVS.

I. Vniuerſus *exercitus* dicitur ϛρατεία.

Notetur differentia inter ϛρατιὰν et ϛρατείαν, *militiam* ſeu *expeditionem bellicam*. vid. Suid. in Στρατεία.

II. Frons *μέτωπον* a), vel *πρῶτος ζυγός* b). Vnde *ἐν μετώπῳ ἄγειν*, *recta fronte ducere exercitum* c).

a) Schol. Ariſtoph. *ad Au.* 352.

b) Pollux I, 10. ſegm. 127. Thucyd. V, 68.

c) e. g. Arrian. *de Expedit. Alexandri I.* 6. vid. Gronou. *ad Liu.* XXII, 45.

III. *Latera* vel *alae*, *κέρατα* a), vnde *κατὰ κέρας*, vel *ἐπὶ κέρας ἄγειν*, *in cornua ducere exercitum* b).

a) e. g. apud Thucyd. V, 71. Repertor eorum Pan. Polyaen. I, 2. conf. Pollux I, 10. ſegm. 126.

b) Arrian. *de Expedit. Alexandri I*, 6.

IV. Poſtrema acies *οὐρὰ* a), vel *ἔσχατος ζυγός* b).

a) Xenoph. IV. *Exped.* οὐρὰν pro *extrema aciei parte* ponere probat Blancardus *ad Arriani Tactica* p. 25. Aliter accipit Arrianus *l. c.* Sed nota, locum Xenophontis eſſe *Helenic. IV.* p. 404.

b) Phauorinus in Στρατός.

V. Πεμπὰς *quinque* militibus conſtabat.

Rectius videtur ſcribi Πεμπτὰς vel Πεντὰς. Pollux I, 10. ſegm. 127. et Iungermannus ad h. l.

VI. Λόχος XXIV. vel XXV. militibus, aliquando etiam XVI.

Aelian. *Tact.* c. IV. Arrian. p. 18. Schol. Ariſtoph. *ad Acharn.* v. 1073.

VII. Τάξις

VII. Τάξις vel Ἑκατονταρχία complectebatur C vel CXX milites.

Arrian. p. 28. ibique Blancardus. Aelian. c. IX. Perizon. *ad Aelian. V. H. II,* 44. n. 5.

VIII. Φάλαγξ, *certus ordo aciei* vel *iusta acies* a). Vnde ἐπὶ Φάλαγγα ἄγειν, *in iustum aciem ducere.* Μῆκος Φάλαγγος est longitudo aciei ab extrema ala ad extremam b); Βάθος vero, latitudo a fronte vsque ad vltimam aciem c).

a) Ita Pollux videtur accipere I, 10. segm. 127. Aelian. c. IX. sq. Arrian. p. 23. Eustath. ad Homer. Ιλ. δ. v. 254. p. 357. lin. 24.

b) Aelian. *Tact.* c. VII. Gronou. *ad Liu.* XXII, 45.

c) Aelian. *l. c.* et Arrian. p. 23. sq.

IX. Ἔμβολον, *cuneus*, figura aciei literam Δ referens. Ita ordinabatur acies, quo facilius perrumpere possent hostium exercitum.

Agathias II, 44. et ex eo Suidas in Ἔμβολον. Aelian. Tact. c. XLVII. vbi pro litera Δ legitur Λ male. Aelianus idem c. XIX. τὸ ἥμισυ, inquit, τῶ ῥόμβω, ἔμβολος καλεῖται &c. Adde Arriani *Tact.* p. 44. sq. Inuentor emboli Philippus Macedo. Aelian. c. XXXIX.

X. Κοιλέμβολον, *forfex*, literam V referebat, et ad excipiendum cuneum erat.

Suidas in hac voce. Arrian. pag. 69. Aelian. c. XXXV.

XI. Πλίνθιον, *laterculus*, acies figuram lateris referens.

Arrian. p. 69. Aelian. c. XLI. vbi Arcerius obseruat ex Suida, πλίνθιον a Xenophonte III. *Exped.* vocari πλαίσιον ἰσόπλευρον.

XII. Πύργος, *turris*, erat laterculus inuersus, referens figuram turris siue quadrati oblongi.

Eustath. ad Ιλ. δ. p. 357. lin. 19. πύργος, τάξις τετραγωνοειδῶς πυκνουμένη. Ipse Homerus meminit Ιλ. μ. v. 43.

v. 43. Ad quem etiam locum Euſtathius conferri poteſt p. 847. lin. 20.

XIII. Πλαίσιον acies figurae oblongae.

Arrian. p. 69. Aelian. c. XLVIII. et ad h. l. Arcerius p. 168. Lucian. *Diall. Meretr.* p. 549.

XIV. Motiones vel conuerſiones militum ad iuſſum Praefectorum vocantur κλίσεις a). κλίσις ἐπὶ δόρυ, *ad dextram*, ἐπ' ἀσπίδα, *ad ſiniſtram* b).

a) Arrian. p. 54. Aelian. c. XIX. XXIII. ſq. Polyb. X. p. 595. A.

b) Arrian. et Aelian. *ll. cc.* Adde Suidam in κλίσις.

XV. Μεταβολὴ eſt conuerſio, qua terga conuertebantur eo, quo antea fuerat facies conuerſa a). Erat ea duplex: μεταβολὴ ἐπ' οὐράν, quae fiebat dextrorſum a fronte ad tergum; μεταβολὴ ἀπ' οὐρᾶς, quae fiebat ſiniſtrorſum a tergo ad frontem b).

a) Arrian. p. 55. Aelian. c. XXIV.

b) De vtroque conuerſionis genere vid. Suid. in Μεταβολὴ et Arcerius *ad Aelian.* c. XXIV. p. 143.



CAP. V.

DE SIGNIS IN EXERCITV GRAECORVM.

I. Signa militaria diſtinguuntur in σύμβολα et σημεῖα.

Caſaubonus *in Aeneam* c. IV. p. 35.

II. Σύμβολα erant duplicia, vel *ore prolata*, vel *ſub oculos cadentia*.

τὰ διὰ τῆς φωνῆς μηνυόμενα, et σημεῖα ὁρατὰ distinguit Aelian. c. XXXIV. conf. et Arrian. p. 64.

III. Σύμβολον *ore prolatum* vocatur etiam Σύνθημα, latine *tessera*, vox, quae dabatur ab Imperatore Praefectis inferioribus, et ab his omni exercitui, signum, quo internoscerentur.

Casaub. *in Aeneam* c. XXIV. Lipsius *de Militia IV*, 12. Thucyd. IV, 112. Th. Magister σύνθημα ἐπιφώνημα ἐν μάχαις. Polyaen. I, 11.

IV. Σύμβολον *sub oculos cadens* Παρασύνθημα dicitur, eratque capitis nutus, manuum plausus, hastae inclinatio &c.

Onosander *Strateg.* c. XXVI. c. Rigaltii nota. Aeneas *Tact.* c. XXV. et ad h. l. Casaub. p. 71.

V. Σημεῖα erant *signa* vel *vexilla*, quae quum tollebantur, signum erat praelii committendi a); quum demittebantur, signum omittendi et cessandi b).

a) Thucyd. I, 49. et 63.
b) Schol. ad Thucyd. I, 49. Suidas in σημεῖα.

VI. Σημεῖον saepe etiam erat paludamentum in summa hasta.

Polyb. *Hist. II.* p. 151. D. E. Polyaen. I, 48. §. 2. Forte hoc σημεῖον erat duntaxat apud Romanos. vid. locum Plutarchi apud Gronouium *ad Liu.* XXII, 45.

VII. Antiquis Graecis σημεῖον etiam erat πῦρ, siue faces ardentes, quae mittebantur ab exercitu vtroque a). Viri, a quibus mittebantur, πυρφόροι dicti b).

a) Schol. Eurip. *ad Phoeniss.* v. 1386. Meursius *ad Lycophr.* v. 1295.
b) Tzez. *ad Lycophr.* v. 250. Vnde prouerbium de *magna strage* apud Schol. Euripidis *l. c.* οὐδὲ πυρφόρος

φόρος ἐσώθη. Cuius simile est apud Herodotum VIII. p. 530. B.

VIII. Dein adhibebant *conchas*, gr. κόχλους a), postea *tubas*, graece σάλπιγγας b).

a) Pseudodidymus ad ιλ. σ. v. 219. Barnes. *ad Euripid. Iphig. in Taur.* v. 303. Meurs. *ad Lycophr.* v. 250. Alludit Theocritus in *Dioscuris* seu Idyll. XXII. v. 75.

b) Aristotel. *de Mundo* c. VI. Eurip. *Rhes.* 144.

IX. Apud quosdam Graecos ad canendum classicum adhibebantur alia instrumenta, vt σύριγξ *fistula*, αὐλὸς *tibia* &c.

Thucyd. V, 70. Athenaeus Dipnosoph. XIV, 6. p. 672. D. Plutarch. *de Musica* p. 1140. B. Gellius I. 1.

X. Ceterum clamor, quem primo impetu edebant milites, dictus ἀλαλαγμός.

Polyaen. I, 2. Pollux I, 10. segm. 163. et quae ibi a doctis viris annotantur. Lips. *de Milit. Rom.* IV, 11. Homerus vocat ἀλαλητόν. Ιλ. ε. v. 436.

Suidas etiam ἐλελεῦ clamare solitos congressuros milites tradit in hac voce.



CAP. VI.

DE PRAEDA MILITVM.

I. Ea, quae capiebantur in bello, erant vel *personae*, vel *res*.

II. Personae dictae αἰχμάλωτοι a), et δορυάλωτοι b), fiebantque mancipia, si se redimere non possent c).

a) e. g. apud Xenoph. *in Agesil.* p. 517.

b) Pollux VII, 33. segm. 156.

c) Pausan.

c) Pauſan. VIII, 47. p. 695. IX. 15. p. 740. Homer. ιλ. ζ. v. 427.

III. Res, quae capiebantur, erant *veſtes*, quae quum mortuis adimerentur, σκῦλα dicuntur, quum viuis, λάφυρα [a]); praeterea *arma* [b]), *ſigna* [c]) &c.

a) Suidas in Λάφυρα, et in Σκῦλα. Sed Euſtathius ad ιλ. δ. v. 105. pro Synonymis habet. Praedam bellicam Homerus etiam ἔναρα vocat. ιλ. ζ. v. 68. De qua voce Euſtath. ad ιλ. α. p. 60. lin. 34. Ἔναρα, τὰ σκῦλα ἤτοι τὰ λάφυρα.

b) e. g. Homer. ιλ. κ. v. 458.

c) Generatim omnia hoſtium bona. Xenoph. *Cyropaed.* III. p. 66. l. 43. ſq.

IV. Omnis praeda conferebatur ad Imperatorem [a]), qui ſibi primus eligebat aliquid eximii [b]), dabatque etiam iis, qui fortiter ſe geſſerant in praelio [c]): reliqua militibus ex aequo diuidebat [d]).

a) Ita ſe Achilles omnia ſpolia ad Agamemnonem detuliſſe ait apud Homer. ιλ. ι. v. 331.

b) Homer. ιλ. λ. v. 703.

c) Idem ιλ. ι. v. 334.

d) Idem ιλ. λ. v. 703.

V. Sed antequam diuideretur praeda, *primitiae* ex ea conſecrabantur Diis, graece ἀκροθίνια.

Euſtath. *ad Odyſſ.* p. 692. lin. 26. ſq. et Suidas in ἀκροθίνια. Vnde ἀκροθινιάζεσθαι, i. e. *optimum eligere* apud Eurip. *Hercul. Fur.* v. 476. Vid. Ebr. VII, 4. et quos laudat Vuolfius ad h. l.

VI. *Tropaea*, graece Τρόπαια etiam erigebantur.

Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* v. 453. Plura de hoc ritu Potterus *ad Lycophr.* v. 1328. Barneſ. *ad Eurip. Heraclid.*

raclid. v. 937. Veteris Graeciae moribus tropaea in finibus ſtatuebantur, victoriae modo in praeſentia declarandae cauſa, non vt in perpetuum belli memoria maneret. Et qui primi tropaea ex aere aut lapide poſuerant, male audiuere, et aliquando accuſati apud Amphictyones ſunt. Weſſeling. *ad Diodor. Sic.* XIII, 24. vbi prouocat ad Plutarchi *Qu. Rom.* p. 273. D. Cic. *de Inuent.* II, 23. Adde Spanhem. *ad Iulian. Caeſ.* p. 239. et Praef. p. 103.

CAP. VII.

DE PRAEMIIS ET POENIS MILITARIBVS.

I. Praemia virtutis Ἀριστεῖα dicta, quae tribuebantur iis, qui fortiter ac ſtrenue pugnaſſent.

Aelian. *V. H. V*, 19. Dicuntur et Ἔπαθλα, et Νικητήρια et Ἐπινίκια.

II. Gregarii milites promouebantur ad aliquem gradum, et Praefecti minores ad maiores Praefecturas.

Xenoph. *Hipparch.* p. 755. l. 19. ſq. Itaque Nicomachides apud Xenophontem *Memorab.* III, 4. §. 1. indignatur, ſe non electum fuiſſe imperatorem, quum tamen confectus fuerit longa militia, nec ſolum λοχαγῶν, ſed etiam ταξιαρχῶν, multis vulneribus praeterea acceptis. Adde Onoſandri *Strateg.* c. XXXIII.

III. Epiniciis et Funebribus Orationibus laudabantur viri fortes.

Thucyd II, 34. Exemplum eiusmodi reliquit Demoſthenes, qui ἐπιτάφιον λόγον compoſuit in eos, qui ad Chaeroneam ceciderunt, quique legitur in Opp. Demoſth. p. 152. ſq. Conf. Lucian. *de Luctu.*

IV. Co-

IV. Coronis donabantur, quibus inſcripta eorum nomina, qui virtutis ergo eas meruerant.

Demoſth. *aduerſus Androtionem* p. 428. A. vid. Paſchal. *de Coronis VII*, 5. p. 466. ſq.

V. Columnae quoque, et ſtatuae ponebantur, in honorem Deorum, quibus inſcribebantur eorum victoriae.

Plutarch. *in Cimone* p. 482. E. et 483. A.

VI. Praemium aliquando etiam reportabant Πανοπλίαν.

Sic Alcibiades re ad Potidaeam praeclare geſta, quum Virtutis teſtimonium a Socrate eſſet conſequutus, donatur corona et πανοπλίᾳ. Plutarch. *in Alcibiad.* p. 195. A. Πανοπλία eſt omne armorum genus, quibus milites grauis armaturae ſolebant armari: κνημῖδες, θώραξ, ξίφος, ἀσπὶς, κυνέη, ἔγχος. Vid. Homer. Ιλ. γ. 330. Virg. *Aen. VIII*, 620. De eodem πανοπλίᾳ Epheſ. VI, 11.

VII. Honoris gratia appellabantur Cecropidae, et arma ſtrenuorum virorum in arce ponebantur.

Demoſth. *Orat. Funebr.* p. 156. B.

VIII. Vulnerati et mutilati in praelio publice alebantur Athenis.

Hoc fiebat ex lege Piſiſtrati. Plutarch. *in Solone.* p. 96. C. Plura teſtimonia collegit Meurſius *in Themide Attic. I*, 10. p. 27.

IX. Publice etiam alebantur liberi fortium virorum, qui in praelio occubuerant a), vsque dum robuſtiores eſſent facti, quando donabantur πανοπλίᾳ b) et προεδρίᾳ in ſpectaculis c).

a) Diog. Laert. *in Solone I.* 55. Lesbonax in προτρεπτικῷ p. 211. b) Ariſti-

b) Ariſtides *in Panath.* apud Meurſ. *in Themide Attic.* I 10. p. 28. conf. Petitus *ad Legg. Attic.* p. 560.
c) Lesbonax *l. c.*

X. Ad *poenas* militares quod attinet, ἀυτομόλοι, *transfugae* capitis ſupplicio afficiebantur.
Vlpian. *ad Timocrat.* p. 237. C.

XI. Ἀϛράτευτοι, *qui militare recuſauerant*, et λειπόταντοι, *qui ordines deſeruerant*, ſecundum legem a Charonda latam, triduum in foro ſedere debebant veſte induti muliebri.
Diodor. Sic. XII, 16. p. 81.

XII. Athenis ἀϛράτευτοι, λειπόταντοι et δειλοὶ arcebantur a templis et concionibus.
Aeſchines *in Cteſiph.* p. 299. B. Demoſth. *Timocrat.* p. 475. A. B. Conferri poſſunt hic duae Lyſiae orationes in Alcibiadem, altera κατὰ Ἀλκιβιάδȣ Λειποταξίȣ; altera κατὰ Ἀλκιβιάδȣ Ἀϛρατείας p. 130. et 141.

XIII. Aliae grauiores poenae militares ſtatutae ſunt a), praeſertim apud Lacedaemonios b).
a) e. g. Ceteros legislatores, ſignorum ordinumque deſertoribus capitis ſupplicium irrogaſſe, auctor eſt Diodor. Sic. XII, 16. p. 81. D.
b) Plutarch. *in Ageſilao* p. 613. E. De ſeueritate Laconum hac in re conf. et Herodot. VII. p. 474. E. Plutarch. *Lacon. Inſtit.* pag. 239. B. et *Apophthegm. Lacon.* p. 240. ſq.

****

CAP. VIII.

DE MILITIA NAVALI.

I. Nauium appellationes et formae variae fuerunt.

II. *Naues*

II. *Naues onerariae*, graece ὁλκάδες [a]) et φορτηγοὶ [b]), quae forma rotunda erant [c]); bellicae vero μακραί [d]).

a) Thucyd. VI, 30.

b) Plutarch. *in Pompeio* p. 624. B.

c) Thucyd. II, 97. vbi Scholiast. Νῆα στρογγύλην explicat per Ἐμπορικήν.

d) Schol. Thucyd. *l. c.*

III. *Bellicae* erant Τριήρεις [a]), Τετρήρεις [b]), Πεντήρεις [b]) &c. sic dictae ab remorum ordinibus.

a) Pollux I, 9. segm. 119. Saepe *triremis* mentio apud Lysiam in Ἀπολογ. Δωροδοκίας p. 184. sq.

b) Diodor. Sic. XIX, 62. p. 704. vbi refert in Antigoni classe fuisse νῆας τετρήρεις, πεντήρεις, ἐννήρεις, δεκήρεις &c. Athenaeus V, 8. p. 203. E.

IV. Ad partes nauis quod attinet, ima pars et fundamentum nauis, Latine *carina*, Graece τρόπις [a]), et στεῖρη [b]).

a) Homer. Οδ. μ. v. 421. et 438. Schol. minora ad h. l.

b) Homer. Ιλ. α. v. 482. et Schol. min. ad h. l.

V. Tabulata, quae a carina exsurgunt, Graece ἐντερόνομεῖς [a]), et ἐγκοίλια [b]), horum asseres ἐντερόνειαι [c]).

a) Hesych. in hac voce et Brodaeus *Miscell.* I, 10.

b) Theophrast. *Histor. Plant.* IV, 3.

c) Schol. Aristoph. *ad Equit.* v. 1182. Paulus Leopard *in Emendatt.* XIII, 8.

VI. Πλευραὶ siue τοῖχοι, *latera* nauis [a]) contexebantur tabulatis, quae ὑποζώματα [b]) et ζωμεύματα [c]).

a) Pollux I, 9. segm. 88. Athenaeus V, 11. p. 207. F.

b) Athe-

b) Athenaeus V, 9. p. 204. A. vbi deſcribuntur naues Philopatoris.

c) Schol. Ariſtoph. *ad Equit.* v. 279.

VII. Partes nauis inferiores, quae ſub aqua latent, ὕφαλα; contra ſuperiores, quae conſpiciuntur, ἔξαλα.

Lucian. *in Ioue Tragoedo* p. 155. vtraque voce, hoc ſenſu, vtitur.

VIII. Media pars nauis μεσόκοιλα.

Haec Polluci videtur eſſe κοίλη ναῦς I, 9. ſegm. 92. ſed ſegm. 87. medias nauis partes ζυγὰ vocari tradit.

IX. Summi fori κατάστρωμα a), vt fundus πυθμήν b).

a) Vid. Iungermannus *ad Polluc. I,* 9. ſegm. 92. Athenaeus V, 8. p. 204. B.

b) Nam πυθμὴν, τὸ ἔσχατον μέρος καὶ τελευταῖον παντὸς ὁτινοσοῦν σκεύους κατὰ βάθος ſecundum Heſych. et Suid. in πυθμήν. Lucian. *in Votis* p. 493.

X. Anterior pars nauis πρῶρα, etiam μέτωπον a), poſterior πρύμνα, item οὐρά b).

a) Schol. Thucyd. ad II, 90. Suidas in Μέτωπον.

b) Lucian. *in Votis* p. 493. Athen. V. p. 208. B.

XI. Ἐπωτίδες, ligna ex vtraque parte prorae prominentia.

Athenaeus V. p. 204. A. Thucyd. VII, 62. conf. quae notantur ad Pollúc. II, 4. ſegm. 83.

XII, Χηνίσκος, *anſer*, ornamentum *prorae*. Lucian. *in Ioue Tragoedo* p. 155. item *in Votis* p. 493. Rationem denominationis reddit Luciani Scholiaſtes p. 14.

XIII. Κορωνίδες a) et ἀκροστόλια k), ornamenta extremae partis nauis.

a) Heſych. in Κορωνίδες. Euſtath. ad Ιλ. α. p. 55. lin. 18.

b) Athe-

b) Athenaeus V. p. 203. F. Eustath. ad Homer. Ιλ. ο. p. 1049. lin. 17. sq.

XIV. Ἄφλαστα ornamenta *puppis*. Homer. Ιλ. ο. v. 717. Eustath. p. 1049. lin. 12. Athenaeus V. pag. 203. F. Latini *aplustria* vocant.

XV. Παράσημον, insigne nauis in prora. Lucas *in Actis XXVIII*, 11. Vide, quos hic adducit Vuolfius. Adde Burmannum *ad Petron.* c. 105. Heinsium *ad Silium XIV*, 543. Stanlei. ad Aeschyl. *Septem Theb.* v. 214. p. 742.

XVI. Transtra nauis, graece ἑδώλια [a]), σέλματα [b]): summa dicebantur θρᾶνοι [c]), media ζυγὰ [d]), ima θάλαμος [e]).

a) Herodot. I. p. 10. B. *de Arione*.
b) Athenaeus V, 12. p. 209. C. et E.
c) Pollux I, 9. segm. 87.
d) Pollux *l. c.*
e) Schol. Aristoph. *ad Acharn.* v. 161.

XVII. Ad remos et remiges spectantia, sunt ἐρετμὸς, κώπη, τῆς κώπης ἐπιλαβέσθαι [a]), κώπης ὀφθαλμοὶ [b]), siue τρήματα [c]), τροπὸς [d]), τροπωτὴρ [e]), τροποῦσθαι [f]), ἄσκωμα [g]), ἐρέσσειν [h]), ἐρείδειν [i]), ἐλαύνειν [k]), σχάσαι [l]), δικωπίαν ἕλκειν [m]), ὁμοῤῥοθεῖν [n]), μετεωροκοπεῖν [o]), ταρσός [p]).

a) i. e. *remus, remum prehendere* Lucian. *Dial. Mort.* p. 308. Pollux I, 9. segm. 81. sq. Scheffer. *de Milit. Nau. II*, 5. p. 137.

b) Aristoph. Schol. *ad Acharn.* v. 97. Vnde appa‑ret, *foramina* fuisse, quibus remos immitterent, et remigarent. Vid. Schefferus *l. c.* p. 49.

c) i. e. *foramina*, quae et τρυπήματα apud Aristoph. *Pac.* v. 1233. de quibus Schol. ad h. l.

d) Est *lorum, quo remus scalmo alligatur*. Homer. Οδ. δ. v. 782. Eustath. p. 198. lin. 52.

e) Eſt itidem *lorum*, τροπὸς Ariſtoph. *in Acharn.* v. 548.

f) i. e. *loro ad ſcalmum alligari.* Lucian. *in Catapl.* p. 422. Ariſtoph. *Acharn.* v. 552. et Kuſter. *ad h. l.*

g) *Pellis, quae ad ſcalmum eſt affixa, vt ſit foraminibus illis, per quae remi exeruntur, munimento, ne frequenti remorum circumactione cito atterantur.* Ita Scheffer. *de Milit. Nau. II*, 5. p. 140. conf. et Schol. Ariſtoph. *ad Ran.* v. 367.

h) Pollux I, 9. ſegm. 98. vbi ἐρέττειν *remigare.*

i) Ἐπερείδεσθαι ταῖς κώπαις, *incumbere remis* eſt apud Suid. in ἐρείδειν.

k) Ἐλαύνειν κώπην eſt *remum agitare.* Aelian. *V. H. II*, 9.

l) Σχάσαι τὴν κώπην eſt *inhibere remum* apud Pindar. *Pyth.* Od. X. Epod. γ. v. 3.

m) i. e. *duos remos agitare.* Legitur apud Lucian. ex quo citat Schefferus p. 67. Conf. Schol. Thucyd. ad IV, 67.

n) i. e. *ſociam operam alicui remiganti praeſtare.* Schol. Ariſtoph. *ad Au.* v. 852.

o) i. e. *remo fruſtra mare ſecare* et prouerbialiter *fruſtra laborare.* Ariſtoph. *Pac.* v. 91.

p) *palmula remi* i. e. *pars extrema remi.* Pollux I, 9. ſegm. 90.

XVIII. Malus nauis ἱςός. Qui quum erigitur, ὀρθοῦσθαι dicitur [a]). Eius partes ſunt καρχήσιον [b]), τράχηλος [c]), πτέρνη [d]).

a) Lucian. *in Catapl.* p. 422.

b) *Summa pars mali.* Athenaeus V, 11. p. 208. E.

c) *Media ferme pars mali, circa quam velum ſuſpenditur.* Macrob. *Saturn. V*, 21. ex Aſclepiade.

d) *Pars mali inferior.* Schol. Apollon. Rhod. *ad Argonaut.* I. v. 564. Macrob. *l. c.*

XIX. Μεσόδμη *modius* [a]), Ἱςοδόκη *caſteria* [b]), Κεραία *antenna* [c]).

a) i. e.

a) i. e. *foramen, cui malus in medio nauis erectus inferitur.* Apollon. Rhod. *Argonaut.* I. v. 563. Schol. Homer. ad οδ. β. v. 424. Rutgerſius *Var. Lectt. VI,* 6.

b) i. e. *locus, in quo, quieſcente nauigatione inſtrumenta nautica reponuntur.* Homer. ιλ. α. 434. Sed aliter vocem accipere Euſtathius videtur ad h. l.

c) Athenaeus V, 11. p. 208. D. Schol. Apollon. Rhod. *ad Argonaut.* I. v. 566.

XX. Vela, ἱςία, ὀθόναι a), Φάρη b), λαίΦη c), ἄρμενα d). Specialia δόλων e), ἐπίδρομος f), ἀκάτιον g), ἀρτέμων, quod eſt maius velum nauis h). Vnde phraſes ςέλλειν ὀθόνην i), συςέλλειν ἱςία k), ἁπλοῦν ἱςία l).

a) Latine *lintea* Pollux I, 9. ſegm. 103.

b) Heſych. in Ἐπίδρομον, vbi pro Φάρον Salmaſius legit Σίφαρον. Sed legendum videtur Φᾶρος. Vide Euſtath. ad οδ. ω. v. 146. p. 828. lin. 12. ſq.

c) Euſtath. ad οδ. ν. p. 523. lin. 18. Kühn. ad Polluc. I, 9. ſegm. 91. Heſych. in Λαῖφος.

d) Heſych. in Λαῖφος.

e) Idem in Δόλωνες. Pollux I, 9. ſegm. 91.

f) Heſych. in hac voce. Pollux *l. c.*

g) Heſych. in Ἀκάτια. Pollux *l. c.*

h) Lucas *Act.* XXVII, 40.

i) i. e. *velum contrahere.* Στέλλειν ἱςία habet Homer. οδ. π. v. 353.

k) *Contrahere vela.* Ariſtoph. *Ran.* 1030.

l) *Expandere vela.* Πετᾶν ἱςία apud Lucian. *Dial. Mort.* p. 281. Homer. οδ. ε. v. 269.

XXI. Funes varii pro vario eorum vſu. In genere ὅπλα ſunt *armamenta nauis* a), omnia nauis inſtrumenta. In ſpecie *funes nautici* b), alias σχοινία c), κάλω d).

a) Homer. οδ. ζ. v. 268.

b) Πείσματα

b) πέσματα Homer. *l. c.* Eustath. ad h. l. p. 263. lin. 37. Pollux I, 9. segm. 93.

c) Pollux *l. c.*

d) Vel κάλωνες, vel κάλοι. Homer. Οδ. ε. v. 260. Eustath. p. 222. lin. 11. Et Pollux *l. c.*

XXII. Speciales et certi funes τέθροι a) ὑπέραι b), πρότονοι c), ἐπίτονοι d), μεσουρίαι e), πόδες f), τρίποι, θρίοι g), et ἔκφοροι h), πρυμνήσια i), πείσματα k), ζωμεύματα l), ῥύματα m), κάμιλοι n).

a) i. e. *funes, quibus pedes adducuntur vel laxantur.* Scheffer p. 331. ex Phauorin. in τέρθρον. Cui addo hoc, apud Schol. Apollonii Rhodii *ad Argonaut. I.* v. 566. τέρθριοι esse.

b) *Funes, quibus cornua antennarum laxantur, et intenduntur.* Homer. Οδ. ε. v. 260. Eustath. p. 222. lin. 10. vbi et elegans prouerbium explicatur, quod apud Harpocrationem in Ἀφεὶς τὴν ὑπέραν legitur.

c) *Funes, quibus vela vel tolluntur vel demittuntur.* Homer. Ιλ. α. v. 434. Eustath. *ad. h. l.* p. 98. lin. 40.

d) *Funes firmando malo*, apud Schol. Apollon. Rhod. *Argonaut. I.* v. 566.

e) *Lora, quibus antenna religatur ad malum*, ex interpretatione Suidae in hac voce. Vid. Homer. Οδ. μ. v. 423.

f) Homer. Οδ. ε. v. 260. *Pedes* etiam latine dicuntur *funiculi, quibus anguli velorum religantur.* Turneb. *Aduers.* XX, 4.

g) Aristoph. *Equit.* v. 438.

h) Schol. Aristoph. *ad Equit.* v. 438.

i) *Retinacula.* Hesych. et Suid. in hac voce. Pollux I, 9. segm. 93.

k) Itidem *retinacula.* Homer. Οδ. κ. v. 96. et v. 127. Vid. Paul. Leopardi *Emendatt. I*, 18.

l) Schol. Aristoph. *ad Equit.* v. 279. hoc vocabulum aliter explicat: vel enim esse *ligna nauium* putat, vel eo

eo comprehendi, quidquid ad naues pertinet, *lignum, ceram, picem*. De *tabulatis nauium* accipiunt interpretes apud Athenaeum V, 9. p. 204. A.

m) *Funes, quibus nauis ducitur, quum nec velis vti nec remis possis*. Polyb. I. p. 27. C. Vid. Scheffer. *de Milit. Nau. II*, 5. p. 150.

n) *Rudentes, quibus in mare iaciebantur anchorae.* Suid. in κάμηλος. Agunt de eadem Interpretes quidam ad Matthaeum XIX, 24.

XXIII. Gubernaculum πηδάλιον a), cuius partes οἴαξ b), φθεὶρ c), πτερύγιον d), αὐχὴν e), κάμαξ f). Gubernacula in maioribus nauibus habebant duo g).

a) Aelian. *V. H. IX*, 40. Graeu. *ad Hesiod.* Ἔργ. v. 45.

b) i. e. *clauus, quo regitur gubernaculum*. Isidorus apud Graeu. *ad Hesiod. l. c.*

c) *Pertica gubernaculi*, vt vult Scheffer. *de Milit. Nau. II*, 5, p. 145. *medium gubernaculi*. Pollux I, 9. segm. 89.

d) *Extremum gubernaculi*. Pollux *l. c.* et Hesych. in Πτέρυγες.

e) *Reliqua pars gubernaculi*, inquit Pollux *l. c.* Schefferus a Vitruuio *ansam gubernaculi* sic vocari scribit *l. c.* Locus Vitruuii est X, 8. Vtitur hac voce Heliodor. *Aethiop.* V. p. 248.

f) *Pertica*, seu *contus, quo gubernaculum circumagitur*. Lucian. *in Votis* p. 494.

g) Hoc vel ex Luca *Act. XXVII*, 40. intelligitur. Vid. Aelian. IX, 40. et quos citat Schefferus p. 146. sq. qui docet, in quibusdam nauibus etiam tria et quatuor gubernacula locum habuisse.

XXIV. Gubernator κυβερνήτης, in puppi sublimis erat.

Athenaeus V, 11. p. 209. A. Aelian. *V. H. IX*, 40. Cic. de *Senect. VI*. Sed sedisse in sublimi apparet ex Lucian. *Dial. Mort.* p. 278. Vid. Pollux I, 9. segm. 98.

XXV.

XXV. Roſtra nauis ἔμβολα.

Athenaeus V, 8. p. 204. A. Vnde naues χαλκεμβολάδες, i. e. *quae aereis roſtris munitae ſunt*, apud Eurip. *Iphig. in Aul.* 1320. et apud Ariſtoph. *Equit.* v. 551. Κυανέμβολοι τριήρεις *triremes roſtra caerulei coloris habentes.*

XXVI. Anchora, graece ἄγκυρα [a]), εὐνή [b]). Phraſes ἀνασπᾶν [c]), αἴρειν ἄγκυραν [d]), βάλλειν ἄγκυραν ἱερὰν &c. [e]).

a) De inuentore anchorae Plin. VII, 56. ſub fin. Strabo VII. p. 209. Pauſan. *Attic. IV.* p. 12.

b) Homer. Ιλ. α. v. 436. Euſtath. *ad h. l.* p. 98. lin. 46.

c) *Extrahere anchoram.* Lucian. *Dialog. Mort.* p. 281. Pollux I, 9. ſegm. 104. vbi plura huius generis.

d) *Soluere* vel *tollere ancboram.* Plutarch. *in Apophthegm.* p. 204. Elliptice occurrit phraſis apud Lucam *Act.* XXVII, 13.

e) *Iacere ſacram anchoram*, et prouerbialiter *vltima experiri.* Lucian. *Fugitiu.* p. 597. Sacrae huius anchorae mentio quoque apud Lucian. *in Ioue Tragoed.* ſub fin. p. 156. apud Polluc. I, 9. ſegm. 93. Conf. Heinſius et Drakenborch *ad Silium VII*, 23.

XXVII. Saburra ἕρμα [a]), ἀσφάλισμα [b]).

a) Kuhn ad Polluc. I, 9. ſegm. 94. Euſtath, ad Homer. Ιλ. β. v. 154. p. 147. lin. 19. Ariſtoph. *Au.* 1429. Vnde ἀνερμάτιστον πλοῖον, *nauis ſaburra non ſtabilita.* Et elegans metaphora apud Longinum περὶ ὕψους c. 2. Vid. Meurſ. *ad Lycophr.* v. 618.

b) Gloſſae apud Scheffer. *de Milit. Nau. II*, 5. pag. 152.

XXVIII. Βολὶς, *bolis*, ad maris altitudinem explorandam.

Eſt

Eſt enim *bolis* perpendiculum nauticum, h. e. pondus funiculo adfixum, quo nautae profunditatem maris explorant. Vnde βολίζειν, *profunditatem maris bolide explorare Act* XXVII, 28. Herodot. *in Euterpe* p. 102. C. vocat καταπειρητηρίην: Lucilius *in Satir. incertis* n. XI. p. 198. *catapiratem.* Apud Harpocrat. in Κάθετος leguntur haec verba: Κάθετος, ὁ καθιέμενος εἰς τὸ πέλαγος ἀμνός. Quod Valeſius p. 100. ſacrificii genus fuiſſe putat. Sed ſi cum Reineſio in notis MSCtis margini Harpocrat. additis legamus σάμνος i. e. *vrna, hydria*; tunc non incommode videtur Harpocrationis iſte locus de bolide explicari poſſe. Cui coniecturae fauet Heſychius in Κάθετος; vbi κάθετος, μόλιβδος. Vide interim, quae habet Kuſter. *ad Suid.* in Κάθετος ex Photio. De alia vi vocabuli βολὶς vid. Lennep. *ad Coluth.* p. 5.

XXIX. Κοντοὶ a), ἀποβάθρα b), ἀντλίον c) huc etiam pertinent.

a) i. e. *conti, perticae, quibus nautae partim protrudunt nauim vadis aut ſaxis inhaerentem, partim pertentant, cognoſcuntque aquae altitudinem.* Scheffer. *de Milit. Nau. II*, 6. p. 152. Pollux I, 9. ſegm. 94. Etiam Homerus meminit Οδ. α. v. 487.

b) *Eſt pons, per quem ex terra adſcenditur in naues, et ex iis rurſus deſcenditur in terram*, vt explicat Schol. Thucyd. IV, 12. Lucianus ἀποβάθραν vocat et ἀναβάθραν in *Dial. Mort.* p. 281. Diodor. Sic. ἐπιβάθραν XII, 62. p. 113. B.

c) Sic etiam ἀντλία, quae vox et *ſentinam* notat, locum nauis infimum et inhoneſtum, quippe quo ſordes nauis confluunt. Ariſtoph. *Equit.* v. 433. et *Pac.* v. 17 et *machinam hauſtoriam*, qua ſordes illae et impurae aquae exhauriuntur. Euſtath. ad Οδ. μ. v. 411. p. 498. lin. 1. ſqq. vbi Homerus ſentinam vocat ἄντλον.



CAP. IX.

DE NAVTIS ET MILITIBVS CLASSIARIIS.

I. Socii nauales dicti πληρώματα a), ἀυτερέται b), κωπηλάται remiges c); supremi θρανῖται, medii ζυγῖται, infimi θαλαμῖται d). Qui in transtris proximis ad proram sedebant, πρόκωποι, qui in proximis ad puppim, ἐπίκωποι e).

a) Diodor. Sic. XIII, 2. pag. 134. D. Polyb. I. p. 30. B.

b) Thucyd. I, 10. et alibi saepe. Vbi vid. Stephanus et Hudson.

c) Hesych. in hac voce. Vsitatius est ἐρέται.

d) Schol. Aristoph. *ad Acharn.* v. 161. et ex eo Suidas in Θρανίτης. Conf. Scholiastam eumdem *ad Ran.* v. 1106. et ad h. l. Kusterum.

e) Habet haec duo vocabula Pollux I, 9. segm. 95. Explicat ea Auctor noster fere ex mente Schefferi II, 3. p. 108. Sed viri docti ad Pollucis locum pro πρόκωπος legendum putant πρόσκωπος, et vtramque vocem eius potestatis esse, et *remigem quemcunque notare.* Quo sensu πρόσκωπος et alibi occurrit, et apud Lucian. *in Cataplo* p. 436.

II. Ναῦται a remigando liberi erant, sed quisque proprio suo fungebatur munere a), scilicet, qui vela curabant ἀρμενισαὶ b): qui funes conscendebant, σχοινοβάται c): alii μεσοναῦται, qui alia curabant, quae ipsis imperabantur d).


a) De variis nautarum officiis Cic. *de Senect.* VI.

b) Lex Rhodia §. 36. apud Scheffer. *de Milit. Nau. II*, 3. p. 108.

c) Hos

c) Hos defcribit Lucian. *in Votis* pag. 493. An σχοινοβάται dicti fuerint, ipfe Schefferus p. 108. dubitat.

d) lin. 4. §. 1. ff. *de naut. caup. ftab.* ad quem locum vid. Interpretes.



CAP. X.

DE PRAEFECTIS CLASSIS.

I. Alii nautis praeerant, alii militibus claffiariis. Qui nautis et nauibus, Ἀρχικυβερνήτης [a]), Κυβερνήτης [b]), Πρωρεὺς [c]), κελευστὴς [d]), Τριηραύλης [e]), Ναυφύλακες [f]), Δίοποι [g]), Τοίχαρχοι [h]), Ἐσχαρεὺς [i]), Λογιστής [k]).

a) Diodor. Sic. XX, 51. p. 786. D. Ita vero dicitur *fupremus claffis gubernator*.

b) Arrian. *de Expedit. Alex. VI*, 2.

c) Xenoph. *Oeconom. VIII.* §. 14. ὁ τοῦ κυβερνήτου διάκονος, ὃς πρωρεὺς τῆς νεὼς καλεῖται. In Opp. p. 665. lin. 34.

d) i. e. *hortator remigum, feu portifculus*, qui requiemque modumque voce dat remis, animorum hortator, vt Ouidius canit *in Met. III*, 618. Graecis verbis defcribitur ab Arriano *de Expedit. Alex. VI*, 3. et Suida in Κελευστής. Conf. praeter Scheff. III, 1. p. 179. et IV, 7. p. 304. Gronou. *Obff. IV*, 26. Heinfius et Drakenborch *ad Sil.* VI, 360.

e) *Tibicen in triremi.* De hoc Kuhnius *ad Polluc. I*, 9. fegm. 96. vid. Demofth. *de Corona.*

f) *Infpectores nauium et cuftodes* Euftath. ad Ιλ. β. p. 154. lin. 6. fq. Scheff. IV, 7. p. 308.

g) Iidem qui Ναυφύλακες. Euftath. *l. c.*

h) i. e.

h) i. e. *qui laterum nauis cuſtodiam habent.* Pollux I, 9. ſegm. 95. De eo quoque Claudian. *in Conſ. Manlii Theod.* v. 47.

i) *Focarius*, *foco aſſidens*, *eumque curans.* Pollux I, 9. ſegm. 95. Schefferus eum rerum ſacrarum habuiſſe curam coniicit. Alii pro coquo accipiunt. Scheffer. p. 311.

k) *Scriba naualis.* Euſtath. ad Homer. Οδ. θ. v. 163. p. 299. lin. 29. Ab Homero dicitur *l. c.* φόρτου μνήμων, qui alias γραμματεύς. Μνήμονες Graecis ſunt γραμματεῖς. Schol. Ariſtoph. *ad Nub.* v. 623. Vid. Scheffer. p. 310.

II. Qui militibus claſſiariis praeerant, Στόλαρχος a), vel Ναύαρχος b), Ἐπιστολεὺς c), Τριήραρχος d) &c.

a) *Praefectus claſſis.* Heſych. habet Στολάρχης.

b) *Nauarchus*, *nauis princeps.* Xenoph. *Hiſtor. Gr. II.* p. 354. lin. 13. et V. p. 426. lin. 17.

c) Sic dicitur is, qui in claſſe *nauarcho miniſtrat.* Xenoph. *l. c.*

d) *Trierarchus*, h. e. *trieri*, ſeu *triremi praefectus.* Heſych. in Τριήραρχος. Sic Athenis etiam dicebatur, qui ſuo ſumtu nauem praebet bellicam, eamque inſtruit. Vlpian. *ad Orat. in Leptinem* p. p. 128. B. Schol. Ariſtoph. *ad Equ.* v. 908. Huius generis praefecti omnes et plures commemorantur a Polluce I, 9. ſegm. 119.



PARS

PARS QVARTA.

DE REBVS DOMESTICIS.

CAP. I.

DE NVPTIIS.

I. In variis Graecorum Rebuspublicis fuit τίμιος ὁ γάμος a), ac Legibus firmatus b). Et qui fugiebat nuptias, male audiebat c), imo quibusdam in locis multabatur d).

a) Vt γάμος τίμιος *coniugium in honore sit*, praecipit Paulus *in epist. ad Ebraeos XIII*, 4. Fuisse autem apud Graecos τίμιον, ex multis manifestum est. Agnouerunt enim necessitatem coniugii et honestatem et sanctitatem. Plutarch. *in Amatorio* p. 750. Aristot. *Oeconom. III.* et *VII.* Proposuerunt poenas μισογάμοις, vt mox docebitur. Mitto, fuisse iis Deos nuptiarum praesides. Plutarch. in Ἀιτίοις qu. 2. Suidas in Τελέα. Adde Thucyd. II, 15. cum Schol.

b) v. c. Legibus de non ducenda ciui Attico peregrina: de gradibus sanguinis prohibitis: et aliis, de quibus postea. Hinc *vxor legitima* dici coepit γυνὴ ἡ νόμῳ γημαμένη ἀνδρί. Aelian. *V. H.* X, 2.

c) Vid. Siracid. XXXVI, 28.

d) De poenis in contemtores coniugii statutis 1) ab Atheniensibus. Dinarchus contra Demosthenem p. 41. 2) a Lacedaemoniis. Plutarch. *in Lac. Apophth.* p. 227. E. Athenaeus XIII, 1. p. 555. D. Conf. Pollux III, 4. segm. 48.

II. Priſcis vero temporibus, quando ſine legibus viuebant, et barbaries obtinebat, pecudum ritu miſcebantur.

Athenaeus XIII, 1. p. 555. D. Lucret. V, 960. Horat. *Sat. I*, 3. v. 109.

III. Cecrops matrimonii legitimi auctor fuit, vt ſuam haberet quisque vxorem.

Athenaeus XIII, 1. Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* v. 773. Fuere, qui eum idcirco διφυῆ fuiſſe dictum exiſtimarent.

IV. Procedente tempore leges coniugales factae, quibus peregrino non licebat ciuem Atticam ducere a), vt nec peregrinae ciui Attico nubere b).

a) Demoſth. in *Neaeram* p. 519. C.
b) Idem ibid. et 524. C.

V Certa aetas vtrique ſexui praeſcribebatur.

De Spartanis Xenoph. *de Lacedaem. Rep.* non longe ab initio p. 534. l. 44. De Athenienſibus Cenſorinus *de Die Nat.* c. XIV. Quid hac de re viſum fuerit Ariſtoteli, vide in eius *Polit.* VII, 16. Adde Heſiod. Ἔργ. v. 695. ſq.

VI. Polygamia prohibita a), niſi cum neceſſitas vrgeret b).

a) Ex lege Cecropis Athenaeus XIII, 1. pag. 555. D. Herodot. V. p. 344. E. narrat, Anaxandridem Spartanum duas ſimul vxores duxiſſe, additque, eum hoc nomine neutiquam morem Spartanorum ſecutum fuiſſe.

b) Hoc eſt, διὰ σπάνιν ἀνθρώπων *ob ciuium raritatem* Athenaeus XIII, 1. p. 556. A. vel διὰ τὸ λειπανδρεῖν, *quia exhauſta ciuibus erat reſp.* Diog. Laert. II, 26. et Suidas in Λειπανδρεῖν. Ex quibus ſcriptoribus hoc diſcas, fuiſſe, qui etiam Socratem eam ob cauſam duas vxores duxiſſe dicerent. Quo pertinet et exemplum Euripidis. Gell. XV, 20.

VII. Ὁμο-

VII. Ὁμομητρίας non licebat ducere, sed ὁμοπατρίας licebat.

Cornel. Nep. in *Praef.* et *Cimone* c. 1. Schol. Aristoph. *ad Nub.* v. 1375. Pluribus hac de re egimus in Programmate de fratrum cum sororibus apud Graecos coniugio. Cizae 1743.

VIII. Contrahebantur matrimonia consensu et voluntate parentum.

Homer. Ιλ. τ. v. 291. Οδ. ζ. 286. sq. Musaeus v. 179 sq. Ouid. *Met.* IV, 60. De matrimoniis non sine consensu parentum contractis vid. Pricaeus ad Apulei. *Miles.* VI. p. 304. et Grotius *ad Matth.* *XXVIII*, 30.

IX. Qui despondebat filiam, dicebatur ἐγγυᾷν a), διεγγυᾷν b), κατεγγυᾷν c), διδόναι d), ἁρμόζειν e). Latine *dare*, *despondere* f).

a) Demosth. in *Neaeram* p. 528. Aelian. *V. H.* *VI*, 4.

b) Pollux III, 4. segm. 34.

c) Eurip. *Orest.* v. 1675.

d) Homer. Ιλ. τ. v. 291. Demosth. *in Neaeram* p. 528. A.

e) Eurip. *Electr.* 24. vid. 2 Cor. XI, 2.

f) Terent. *Andr.* I, 1. 74. Plaut. *Aulul.* II, 2. 28.

X. Sponsus sponsae in fidem et pignus amoris dabat munus, quod vocatur ἄῤῥα a), ἀῤῥαβὼν b), ἔδνον c)

a) *Arrha* et *Arrhabo* sunt Hebraicae originis, a Graecis tamen et Latinis vsurpata. Arrham habet Gell. XVII, 2. Hebraicum vocabulum occurrit Gen. XXXVIII, 17. Prouerb. XVII, 19. 1 Sam. XVII, 18.

b) Menander *in Fragm. ex incertis comoed.* n. 253. p. 274. Isaeus *Orat.* VII. de *Cironis Heredit.* p. 513. Plaut. *Mil. Gloriof.* IV, 1. 11. Vtitur et Apostolus 2 Cor. V, 5. Eph. I, 14.

c) Ho-

c) Homer. Ιλ. π. 190. Οδ. ζ. 159. Dicitur et μνήστρον Hesych. in hac voce. Sed vid. Perizon. ad *Aelian.* IV, 1.

XI. Sponsa vero dotem exhibebat, quae dicebatur προὶξ a), et Φερνὴ b), quae reddebatur sponsae, soluto matrimonio c).

a) Isaeus *Orat. II. de hered. Pyrrhi* p. 374.

b) Hesych. in Φερνὴ et Ἕδνα.

c) Demosth. *in Neaeram* p. 524. C.

XII. Sed Solon ex matrimonio sustulit dotes: tres tantum vestes, et vasa quaedam vilia voluit adferre sponsam a). Orbis tamen puellis vt dos daretur ab iis, qui genere essent proximi, voluit, nisi iis nuberent b).

a) Plutarch. *in Solone* p. 89. D. Vid. Meurs. *Themis Attic.* I, 14. p. 38.

b) Diodor. Sic. XII, 18. p. 83. D. Meursii *Themis Attic.* I, 13. p. 35.

** ** ** ** ** ** *** ** ** ** ** ** **

CAP. II.

DE RITV NVPTIARVM.

I. Sponsam solemniter in aedes suas ducebat sponsus, quod ἄγειν a), vel ἄγεσθαι γυναῖκα dicitur b), plene εἰς οἰκίαν c).

a) Vix hac forma et hoc sensu occurrit. Vid. Kusterus *de Verbis Mediis*. Cum addito δόμονδε legitur ἀνάγειν apud Homer. Οδ. γ. v. 272.

b) Homer. Οδ. ζ. v. 159. οἶκονδ᾽ ἄγεσθαι. Sed sine addito ἄγεσθαι γαμετήν. Aelian. *V. H. XIII*, 13. ἄγεσθαι γυναῖκα Idem XIII, 10.

c) Hesiod. Ἔργ. v. 695.

II. Vehiculo vehi potiſſimum ſolebant a), quique ex amicis adſidebat ſponſo et ſponſae παράνυμφος b), et πάροχος dictus c).

a) Heſiod. *Scut. Herc.* v. 273. Suidas in Ζεῦγος ἡμιονικόν.

b) *Pronubus*, ὁ συναπάγων τῷ νυμφίῳ τὴν νύμφην. Euſtath. ad ιλ. ζ. p. 516. lin. 48.

c) Pollux III, 3. ſegm. 40. Suid. *l. c.*

III. Praecedebant tibicines, et citharoedi, aliique faces geſtantes.

Hom. ιλ. σ. v. 491. Heſiod. *Scut.* v. 275. ſq. Terent. *Adelph* V, 7. 9. Muſaeus v. 275.

IV. Canticum, quod inter vehendum canebatur, ἁρμάτειον μέλος dictum.

Ἁρμάτειον μέλος apud Suid. et Heſychium et Euſtath. ad ιλ. χ. p. 1380. lin. 5. occurrit, ſed alia notione. Quae Boſius cum Pottero de hoc cantico dicit, ea videtur confirmare Etymologus apud Valeſ. ad *Harpocrat.* p. 222.

V. Aedes ingreſſi ὑμεναίῳ ſe oblectabant a), et ſaltatione b).

a) Homer. ιλ. σ. v. 493. De origine vocis Euſtath. ad *h. l.* p. 1213. lin. 52. vid. Heſiod. *Scut.* 274. Pollux III, 3. ſegm. 37.

b) Homer. et Heſiod. *l. c.* Adde οδ. δ. v. 18. ſq. et ψ. 145.

VI. Epulo excipiebantur, quod γάμος etiam dictum.

Homer. οδ. δ. v. 3. ιλ. τ. v. 299. Pollux III, 3. ſegm. 44. Vid. Interpretes ad Matthaei XXII, 2.

VII. Sed ante epulum nuptiale ſacrificia peragebantur, dicta προτέλεια a), et προγάμεια b), et ſic tranſibatur ad epulum.

a) Eurip. *Iphig. in Aul.* v. 718. ſq. Heſych. in *hac voce.* Valeſ. *ad Harpocrat.* p. 164. b) Pol-

b) Pollux *III*, 3. ſegm. 38.

VIII. Ad quod qui accedebant, lauare ſe a) et veſtes mutare debebant b).

a) Homer. οδ. ψ. 131.

b) Idem οδ. ζ. 27. ſq. Ariſtoph. *in Au.* 1692. vbi mentio fit γαμικῆς χλανίδος. Vid. Interpr. ad Matthaei *XXII*, 11. vbi ἔνδυμα γάμου.

IX. Veſtes ſponſi erant tinctae et variegatae, ſponſae pariter.

Vtrumque teſtatur Ariſtoph. *in Plut.* v. 530. et Scholiaſt. *ad h. l.* qui cauſam moris reddit. Conf. Kuſter. *ad h. l.*

X. Praeterea ſponſus et ſponſa ornati erant corollis ex variis herbis et floribus.

Huiusmodi coronam nuptialem vocat στέφος γαμήλιον Bion *Idyll. I.* in Epitaph. Adonidis v. 88. De coronis *ſponſorum* vid. Schol. Ariſtoph. *ad Au.* v. 160. de *ſponſarum* Euripid. *Iphig. in Aul.* 905. Vid. Paſchal. de *Coronis II*, 16. 17.

XI. Domus ſponſi quoque ornata.

Hierocles in *Fragm.* περὶ γάμου p. 308. et apud Stobaeum *ſerm.* 186. de laude nuptiarum p. 636. lin. 33. Senec. *Thebaid.* v. 507.

XII. Piſtillum alligatum ianuae a), et cribrum a puella geſtatum b). Sponſa ipſa ferebat φρύγετρον, id eſt, *vas figulinum, in quo erat hordeum* c).

a) Ὕπερον ἐξέδουν πρὸ τοῦ θαλάμου. Pollux *III*, 3. ſegm. 37.

b) Κόσκινον ἡ παῖς ἔφερε. Pollux ibid.

c) Pollux *I*, 12. ſegm. 246. Kuhnius *ad Pauſan. Attic. I.* p. 5.

XIII. Dum in conuiuio erant, ingrediebatur puer apud Athenienſes, qui praeter glandes geſtabat

ſtabat ſportam cum panibus, et canebat: ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον.

Heſych. et Suid. in Ἔφυγον κακόν.

XIV. Finito conuiuio ducebantur in thalamum, qui graece δῶμα [a]), κουρίδιον δῶμα [b]), δωμάτιον [c]), θάλαμος [d]), παστὰς [e]), in quo lectus genialis, qui λέχος κουρίδιον [f]), νυμφίδιον [g]), et γαμικόν [h]).

a) Theocrit. *Idyll.* XXVII, 36.

b) Homer. Οδ. τ. 580. Sic νυμφικὸν δωμάτιον eſt apud Suid. et Harpocrat. in Παράβυστον.

c) Pollux *III*, 3. ſegm. 43.

d) Theocrit. *Idyll.* XXVII, 36. Pollux *III*, 3. ſ. 37.

e) Heſych. in hac voce et Euſtath. ad Ιλ. γ. p. 297. lin. 43. Παστὸν vocat Muſaeus v. 280.

f) Ariſtoph. *Pac.* 844.

g) Νυμφεία εὐνὴ eſt apud Pindar. *Nem.* Od. V. antiſtr. β. v. 10. et ſq. Epod. init. Κλίνη νυμφικὴ apud Lucian. *in Herodot.* p. 574.

h) Pollux *III*, 3. ſegm. 43. vbi κλίνη γαμική. Conf. Meurſ. *Lectt. Attic.* II, 9. p. 72.

XV. Ambo iam thalamum ingreſſi debebant vna comedere malum cydonium, ex inſtituto Solonis.

Plutarch. *in Solone* p. 89. C. et in *Coniugal. Praeceptis* p. 138. D.

XVI. Licet iam ambo eſſent in thalamo, fieri tamen poterat, vt ſaltem illo tempore disiungerentur, ſcilicet, ſi cornix graue cornicáretur ſuper tecto.

Qui haec teſtimonio ſuo firmet, auctorem ſcio nullum. Si ſcirem, cauſam rei eſſe dicerem, vel quia cornix, auis Mineruae, vrbis cuſtodi inuiſa, vt ex fabulis conſtat: Antigon. *Hiſtor. Mirabil.* XII. Ouid. *Met.* II, 551. ſq. Hygin. *fab.* 166. vel quia cornix recen-

recenseri solet inter diras et inauspicatas aues: Plin. X, 12. vel quia cornix clamore et litibus gaudet, atque alias aues hostiliter inuadit: Seruius *ad Eclog. IX*, 15. Broukhus. *ad Tibull. II*, 2. 21. vel denique quia vnius cornicis clangor est mali ominis, et praesagium viduae vitae: Horapollo *Hieroglyph. VIII.* conf. ea, quae docti viri ad h. l. notarunt. Hadriani Iunii *Animadu. I*, 1. Adde Gaulminum *ad Eustath.* de Amoribus Ismeniae et Ismenes p. 29. Cleric. *ad Hesiod.* Ἔργ. v. 746. Aelian. *H. A. III*, 9.

XVII. Antequam tamen sponsa concumberet cum sponso, moris erat, vt se ablueret, vel saltem pedes, aqua calida.

Aristoph. *Pac.* v. 843. et quos citat Lamb. Bos *ad Eph.* V, 26.

XVIII. Tum sponsus sponsae soluebat zonam.

Graece λῦσαι ζώνην, vel μίτραν παρθενικὴν, Latine *soluere zonam*, *reuincire zonam*. Homer. *h. in Venerem* 155. Theocrit. *Idyll. XXVII*, 54. Ouid. *Heroid. II*, 115. vid. praeter multos alios Spanhem. *ad Callim. h. in Iou.* v. 21. et qui in exponendo hoc ritu diligentissimus est, Io. Schraderus *ad Musaeum* v. 272. p. 341.



CAP. III.

DE DIVORTIIS.

I. Magno dedecori erat coniugibus, si separarentur.

Vxoribus turpe fuisse, a maritis discedere, liquet ex Eurip. *Medea.* 236. Quod ad maritos, Athenaeus *XIII*, 1. pag. 555. C. testatur, apud Lacedaemonios Lysandrum multatum fuisse, quod relicta vxore, aliam eamque pulcriorem vellet ducere.

II. Si

II. Si vir dimitteret vxorem, propria phrafi in Iure Attico hoc dicebatur ἀποπέμπειν [a]), ἀποπομπὴ [b]) et ἐκβάλλειν [c]).

a) Demofth. *in Neaeram* p. 524. C.

b) Pollux III, 3. fegm. 46.

c) Demofth. *in Neaeram* p. 524. C. adde Galat. IV, 30. Dicitur etiam ἐκπέμπειν τὴν γυναῖκα. Ifaeus *de Hered. Pyrrhi* p. 388. ἀφιέναι γυναῖκα. Plutarch. *in Cic.* p. 875. A. 1 Cor. VII, 11. ἀπολῦσαι γυναῖκα. Matth. XIX, 7. 8.

III. Vir dotem tunc reddere tenebatur ex lege.

Demofth. *in Neaeram.* p. 524. C.

IV. Vxor, fi difcederet a viro, vocabatur hoc ἀπόλειψις [a]) et ἀπολείπειν [b]).

a) Plutarch. *in Alcibiad.* p. 195. C. Pollux III, 3. 47.

b) Ifaeus *de Hered. Pyrrhi* p. 386.

V. Poterat vxor maritum relinquere iuftis de caufis, fed debebat prius appellare Archontem, et ipfa fcribere libellum iniuriarum.

Plutarch. *in Alcibiad.* p. 195. C. Andocides *Orat. IV.* contra *Alcibiad.* p. 297. Libellum iniuriarum Plutarch. *l. c.* vocat γράμματα ἀπολείψεως. Quaenam iuftae defertionis caufae effent, colligitur ex Polluce III, 3. fegm. 47. et Plutarch. *in Alcibiad. l. c.*

CAP. IV.

DE ADVLTERIIS.

I. *Adulterium* graece μοιχεία [a]). Apud Graecos etiam frequentata fuerunt adulteria [b]), non tamen

tamen impune habita, ſed poenis mulctisque cohibita.

a) Vid. Pauſan. *Boeot.* XXXVI. p. 784.

b) Documento ſunt Thyeſtes, Aegiſthus, Paris, Phoenix, et alii. Vid. Senec. *Thyeſt.* 680. ſq. Homer. Οδ. α. v. 32. ſq. Ιλ. γ. v. 39. ſqq. et ι. v. 451. Et Meſſeniis et Troianis adulterium extremo exitio fuiſſe, obſeruat Pauſanias *in Meſſen.* XX. p. 328. Spartae tamen adulteria fuiſſe inaudita, diſces ex Plutarch. *in Lac. Apophth.* p. 2-8. et in *Lycurgo* p. 49. C.

II. Poenae in adulteros ſtatutae non vbique eaedem fuere in Graecia.

De poena adulterii apud Cretenſes Aelian. *V. H.* XII, 12. apud Locrenſes Aelian. *V. H.* XIII, 24. apud Theſpios Idem XI, 6.

III. Deprehenſum in ipſo facto adulterum lege Solonis interficere licebat.

Lyſias ὑπὲρ τῦ Ἐρατοσθένυς φόνυ pag. 7. Taylor. *in Proleg. ad hanc Orat.* Plutarch. *in Solone* pag. 90. F. Vid. Meurſii *Themis Attic.* I, 4. p. 9. ſq.

IV Et vxorem in adulterio deprehenſam qui retinebat, ἄτιμος habebatur.

Demoſth. *in Neaeram* p. 529. C. Licuiſſe adulteras interficere etiam aeque ac adulteros impune, dote multare, venum dare, aliisque modis diuexare oſtendit Meurſ. *in Them. Attic.* I, 5. p. 12. ſq.

V. Ceteroquin pecunia redimebant diuites adulterii poenam apud Athenienſes a), quae mulcta μοιχάγρια dicta b).

a) Apud Lyſiam *l. c.* p. 6. deprehenſus adulter ſuppliciter orat, ne interficiatur, ſed vt maritus iniuria adfectus argentum accipiat. Sed maritus tamen hanc conditionem non accipit. Schol. Ariſtoph. *in Plut.* v. 168.

b) Ho-

b) Homer. οδ. θ. v. 332. Ad hunc locum Euſtath. p. 313. lin. 2. Μοιχάγρια, τὰ ὑπὲρ ἀγρεύσεως, ὅ ἐστιν συλλήψεως μοιχῶν, ἐκτινόμενα.

VI. Sed pauperum in adulterio deprehenſorum alia fuit et turpis poena, quae ῥαφανίδωσις a), et παρατιλμὸς dicta b).

a) Ita vocat hanc poenam Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* v. 168, vid. et Ariſtoph. *Nub.* 1079. Suid. in ῥαφανὶς et alibi.

b) Schol. Ariſtoph. *l. c.* et Voſſius *ad Catullum* p. 41. Vnde eamdem poenam et καταπίττωσιν dictam apparet.



CAP. V.

DE LIBERORVM NATIVITATE ET EDVCATIONE.

I. Si maſculus natus eſſet apud Atticos, fores domus, in qua erat puerpera, coronabantur *olea;* ſin femella, *lana.*

Heſych. in Στέφανον ἐκφέρειν, et ex eo Meurſ. *Lectt. Attic. I,* 10. et Paſchal. *de Coron. V,* 15. p. 334.

II. Recens natus infans abluebatur aqua calida a) in *labro*, quod λουτρὸν dictum b).

a) De conſuetudine Graecorum minime propria recens natos infantes aqua abluendi Callim. *h. in Iou.* 17. ibique Interpretes. Meurſ. *ad Lycophr.* v. 322.

b) *Labrum* latine dicitur. Iſidor. Hiſpal. *Orig. XX,* 6. Λουτρὸν quidem latius per ſe patet apud Graecos: hoc tamen ſenſu adhibetur ab Eurip. *Ion.* 1493.

III. Oleo etiam vngebant, quod habebant in vase fictili, quod dicebatur χύτλος [a]); vnde χυτλῶσαι [b]).

a) Bartholin. *de Puerperio Vet.* p. 65.

b) Quod significat 1) ἀπολούσασθαι. Spanh. *ad Callim. h. in Iou.* 17. 2) μετὰ ἐλαίου λούσασθαι. Hesych. et Suidas *in hac voce.* Scholia minora ad Homer. Οδ. ζ. v. 80. et Eustath. *ad h. l.* p. 248. lin. 24.

IV. Apud Spartanos non *aqua,* sed *vino* abluebantur infantes.

Plutarch. *in Lycurgo* p. 49. E.

V. Loti mox *fasciis* inuoluebantur, quae σπάργανα dicta.

Homer. *h. in Mercur.* v. 268. Plutarch. *in Lycurgo* p. 49. E. Herodian. I, 5. Callim. *h. in Iou.* v. 33. et hic Interpretes.

VI. Fasciis inuolutos collocabant in *vannis* [a]), vel in *clypeis* [b]), si parentes essent militares. Id quod praecipue obtinebat apud Spartanos [c]).

a) Callim. *h. in Iou.* v. 48. ibique Interpretes. Lennep. *ad Coluthum* p. 67.

b) Theocrit. *Idyll. XXIV.* quod inscribitur Ἡρακλίσκος v. 4. sqq.

c) Nonnus *in Dionys. XLI.* 168.

VII. Si educare nollent, exponebant infantes, quod ἐκτιθέναι.

Eurip. *Phoeniss.* v. 25. Alludit Aristophanes *in Nub.* v. 531. vbi ἐκτιθέναι est ἔξω ῥίπτειν. Idem Poeta *expositioni* opponit τὸ ἀναίρειν, *tollere* et *educare.* Ex Aristoph. *Ran.* 1221. intelligimus, expositionem illam factam fuisse interdum ἐν ὀστράκῳ *in testa,* vel ἐν χύτραις in *ollis.*

VIII. Ap-

VIII. Apponebant iis in ciſtula aliquando monilia, annulos, gemmas &c. [a]), quae περιδέραια [b]) et γνωρίσματα dicuntur [c]).

a) Terent. *Eunuch. IV*, 6. 15. Eurip. *Ion.* 19. 32. 1337. ſq.

b) Ariſtot. *Poetic.* c. *XVI.* Eurip. *Ion.* v. 1431. vocat δέραια.

c) Pauſan. *Attic. XXVII.* p. 66. Heliodor. *Aethiop. IV.* p. 178.

IX. Apud Thebanos lege prohibita erat expoſitio.

Aelian. *V. H. II*, 7.

X. Apud Lacedaemonios partus diſtorti abiiciebantur in locum Ἀποθέτας dictum.

Plutarch. *in Lycurgo* pag. 49. D. Conf. Ariſtot. *Polit. VII*, 16.

XI. Ceterum apud Athenienſes, infantes qui tollerentur, ſtatim a natiuitate inſcribebantur tabulis publicis.

De hac inſcriptione in album ſeu εἰς κοινὸν γραμματεῖον Iſaeus *Orat.* VI. *de Apollodori hereditate* p. 486. ſqq. Suidas et Harpocrat. in Κοινὸν γραμματεῖον. Ceterum quando haec inſcriptio facta, vtrum ſtatim a natiuitate, an tertio, an quarto, an vero primo anno natiuitatis, incertum eſt Pottero *Archaeol. I*, 9. pag. 45. Sed Luciani Scholiaſtes factam eſſe ἅμα τῷ γεννηθῆναι, *ſtatim a natiuitate*, cum Auctore noſtro tradit T. II. p. 11. De more liberorum profitendorum apud Romanos Briſſon. *in Select. Antiqu. ex Iure Ciu. I*, 5.

XII. Quum iam quintum diem ageret infans, geſtabant eum circa focum currendo [a]), et propinqui dona, quae γενέθλιοι δόσεις dicuntur, mittebant puerperae [b]). Erant ea πολύποδες et σηπίαι [c]).

Vid.

a) Vid. Hesych. in Δρομιάφιον ἦμαρ et Meurs. *Graec. Fer.* I, 20. Nam quintus ille dies a nato infante dicebatur δρομιάφιον ἦμαρ et ἀμφιδρόμια.

b) Hesych. in Ἀμφιδρόμια et Suidas in eadem voce. Dona illa γενέθλιοι δόσεις dicuntur ab Aeschylo *in Eumenid.* v. 7. et Stanlei. *ab h. l.*

c) i. e. *polypodes* et *sepiae.* Harpocrat. in Ἀμφιδρόμια. Suidas *in eadem voce.* Athenaeus *II*, 24. p. 65. et IX, 2. p. 370.

XIII. Decimo a natali die infanti nomen dabatur a), res sacra fiebat b), et conuiuium agitabatur c), quod dicitur δεκάτην θύειν d), ἀποθύειν e), vel ἑστιάσαι f).

a) Eurip. *in Fragm. Aegei* v. 14. et Barnes. *ad Eurip. Electr.* v. 126. Secundum alios hoc septimo die factum. Vid. Harpocrat. in Ἑβδομευομένου.

b) Eurip. *Electr.* v. 1126.

c) Aristoph. *Au.* v. 494. cum Schol.

d) Aristoph. *Au.* 923.

e) Etiam ποιῆσαι δεκάτην habet Demosthenes *adu. Boeotum* p. 638. C.

f) Suidas in Δεκάτην ἑστιᾶσαι.

XIV. Quadragesimus dies festus erat puerperarum.

Dictus τεσσαρακοστός. Censorin. *de Die Nat. XI.* p. 50. sq. Vid. Bartholin. *de Puerp. Vet.* p. 139.

XV Singularis Graecorum cura fuit in eo, vt liberos suos domi educarent a), et matres eos proprio suo nutrirent lacte b). Quod principes etiam feminae fecere c).

a) Homer. Ιλ. π. v. 191. Οδ. ξ. v. 201. adde Plaut. *Bacchid. III*, 3. 18.

b) Vnde Ion apud Eurip. *Ion.* v. 1360. sibi lacte materno carendum fuisse queritur. Nam expositus fuerat.

c) Ex-

c) Exemplo sunt *Hecuba* apud Homer. Ιλ. χ. v. 83. *Penelope* Οδ. λ. 447. Plura dabit Feith. *Antiqu. Homer. II*, 18.

XVI. Legimus tamen etiam, quibusdam in casibus adhibitas nutrices.

Apud Homerum *Euryclea* est nutrix Vlyssis Οδ. τ. v. 482 sq. Mentio etiam fit nutricis Nausicaae Οδ. η. v. 12. conf. epistola Myiae in *Fragmentis Pythag.* in *Opusc. Mythol.* a Th. Galeo collectis p. 750. sq. Gell. *Noctt. Att. XII*, 1.

XVII. Nutrix Graece μαῖα a), τίτθη b), τιθήνη c), et τιθηνήτειρα d) dicitur, etiam τροφός e). Aliqua tamen differentia est inter τροφὸς et τίτθη f). Mammam praebere Graece θηλάζειν g) dicitur.

a) Homer. Οδ. τ. v. 482.

b) Aristoph. *Equit.* v. 713. cum Schol.

c) Homer. Ιλ. ζ. v. 389. Eustath. p. 513. lin. 10.

d) Est apud Suidam in Τιθηνὰς ex epigrammate. Sed aliter legit Kusterus.

e) Coniunguntur apud Plutarch. *de Puer. Educat.* c. V. αἱ τίτθαι καὶ αἱ τροφοί. Plura exempla sunt obuia.

f) Nam τίτθαι sunt αἱ τοὺς τιτθοὺς παρέχουσαι, ὅ πέρ ἐστι μαστούς. Sed αἱ τροφοὶ sunt αἱ τὸν ἄλλον πόνον μετὰ τὸν ἀπογαλακτισμὸν ἀναδεχόμεναι, ἤγουν περιφέρουσαι καὶ προσπαίζουσαι τοῖς τροφίμοις. Ita distinguit Eustath. ad Ιλ. ζ. p. 513. lin. 14. sq.

g) Lysias *Orat. I. pro caede Eratosth.* p. 3. Aelian. *V. H. XIII*, 1.

XVIII. Nutrices gestantes infantes per plateas, cum morosiores essent et eiularent, ori admouebant spongiam melle tinctam.

Hesych. in Κηρίῳ βύσαντα. Spanhem. *ad Callim. h. in Iou.* v. 49.

XIX. Ad

XIX. Ad sedandos infantes vagientes etiam canebant λαλὰ a), vel βαυκαλᾶν b), vnde cantica illa βαυκαλήσεις c), alio nomine νύννια d).

a) Scaliger *Lectt. Auson. II*, 11. p. 117.

b) Hesych. in Βαυκαλᾶν.

c) Athenaeus XIV, 3. p. 618. F. αἱ τῶν τιθηνῶν ᾠδαὶ καταβαυκαλήσεις ὀνομάζονται.

d) Hesych. in Νύννιον. Casaubon. *ad Theophr. Charact. Eth.* ad c. VIII. περὶ λαλιᾶς circa fin. p. 231. sq.

XX. Praeterea nutrices vel matres, si infantes morosiores sedare nequirent, habebant *manducum* a), siue *terriculamentum* b), quo eos terrerent, Graece μορμολύκειον c), et hoc modo terrere infantes μορμύσσεσθαι dicitur d).

a) Ita Latinis dicitur. Plaut. *Rud. II*, 6. 51. Festus *in Manducus*.

b) *Terriculamenta*, et *terricula* itidem Latinis dicuntur effigies ad terrendos pueros idoneae.

c) Aristoph. *Thesmoph.* v. 424. Dicitur et μορμολύκη Strab. *I.* p. 13 lin. 32. ad quem locum vid. Casaub. p. 12. et concisius Μορμὼ Aristoph. *in Acharn.* 582. Lucian *in Philopseude* p. 328. De huius generis terriculis et Hebraeorum et Graecorum et Romanorum non iniucunda lectu collegit Cl. Hagerus *in programmate de Manducis*.

d) Hesychius *in hac voce*. Aristoph. *Au.* 1245.

XXI. Porro adolescentuli et adolescentulae ne otio corrumperentur, operam dabant: quare opere aliquo exerceri, artibus et disciplinis imbui curabant.

Ex lege Solonis hoc patet apud Plutarch. *in Solone* p. 90 C. D. Adde Leges Atticas l. 1. tit. 4. Etiam in scholis publicis fuisse pueros puellasque institutos, ostendit Perizon. *ad Aelian. V. H. III*, 21. De necessitate institutionis vid. Socrates *apud Xenophont. Me-*

Memorab. IV, 1. 2. Contra educationem mollem vid epistola Theanus *in Fragm. Pythag. in Opusc. Mythol.* Th. Galei p. 740.

XXII. Quod ad *puellas* attinet, eae arcte custodiebantur in aedibus a), earumque victus fuit tenuis b), pectus vinctum, vt graciles essent c). Opus earum praeter alia fuit, lanificium tractare d). Quod illustres feminae olim etiam fecere e).

a) Cornel. Nep. *in Praef.* Homerus passim mulieres collocat in superiore parte aedium, quae ὑπερῷον dicta vid. Οδ. ο. 516. Ιλ. β. 514. Hinc θάλαμοι παρθενικῶν πολύκληστοι Phocyl.] v. 198. Conf. Eurip. *Iphig. in Aul.* 738. *Phoeniss.* 88.

b) Terentius *in Eunuch. II*, 3. 23. sq. De Lacedaemoniis vid. Xenoph. *de rep. Lacedaem.* ab init. p. 537. lin. 20.

c) Terent. ibid. v. 22.

d) Eustath. ad Ιλ. α. p. 23. lin. 43. Xenoph. *de rep. Lac.* p. 534. lin. 27.

e) e. g. *Penelope.* Homer. Οδ. ρ. v. 97. et Ouid. *Heroid.* I. v. 77. *Vxor Leontiadis principis apud Thebanos viri.* Xenoph. *Hellen.* V. p. 443. lin. 27.

XXIII. Musicam et literas aliquando quoque didicisse legimus virgines honestiores.

Musicam callent virgines Spartanae apud Plutarch. *in Lycurgo* pag. 47. F. et 48. A. Corinnam Thebanam poetica excelluisse, testantur Pausan. *Boeot.* c. XXII. pag. 753. et Aelian. *V. H. XIII*, 25. vbi consulendus Perizonius. Huc Aspasia pertinet, Socratis in eloquentiae studio magistra. Athenaeus V, 19. p. 219. C.

XXIV. Ad *pueros* quod attinet, in illustrium familiis, adsciti in aedibus sunt viri, παιδαγωγοὶ a), vel παιδοτρίβαι b) dicti, qui bonis artibus informarent pueros.

a) *Pue-*

a) *Puerorum educatores et veluti ductores, et praeceptores.* Ita Phoenix legitur fuisse paedagogus Achillis. Plutarch. *de Puer. Educat.* c. VII. Adde Homer. ιλ. ι. 442. sq. Idem Achilles a Chirone Centauro magistro didicit varias artes. Claudianus *in III. Conf. Honor.* v. 60. Homer. ιλ. λ. 831. Sic Atlas fertur paedagogus et praeceptor Herculis apud Auson. *Idyll.* 4. v. 21. et apud Theocritum *Idyll. XXIV*, 103. sq. complures alii. Vid. Feithii *Antiqu. Homer. II*, 18. §. 3. p. 251. sq.

De differentia inter διδάσκαλον et παιδαγωγὸν Wower. *Polymath.* IV. §. 19.

b) Aristoph. *Nub* 969. Sunt autem paedotribae *exercitatores corporum*, qui iuuenes exercent in palaestris. Aeschines *in Timarch.* p. 172. A. De hac voce eiusque significatu Casaubon. *Theophr. Charact. Eth. VIII.* περὶ λαλιᾶς. Perizon. *ad Aelian. V. H. II*, 6. et in addendis p. 982. sq. Zeibich *Athleta* παράδοξος p. 165.


XXV. Graecis, exceptis Lacedaemoniis a), tribus vt plurimum artium generibus imbuere solebant filios suos, scilicet *literis, palaestra, musica* b). Nonnulli etiam *pingendi artem* addebant c).

a) Aristot. *Polit. VIII*, 4. Aelian. *V. H. XII*, 50. et Perizonius.

b) Terent. *Eunuch. III*, 2. 23.

c) Aristot. *Polit. VIII*, 3. De Musica speciatim Plutarch. in lib. *de Musica* p. 1140. B. Conf. Perizon. *ad Aelian. V. H. VII*, 15.

XXVI. De *Palaestra* dixi Part. I. vbi *de Ludis Graecorum*. Quare de tribus reliquis nunc breuiter agendum.



CAP.

CAP. VI.

DE LITERIS.

I. Per literas siue *γράμματα* intelligitur *γραμματικὴ*, quae initio fuit *ars recte legendi et scribendi* a). Dein aucta idem significare coepit quod *Φιλολογία*, nempe *doctrinam Historiarum*, *Poeseos* &c. b).

a) Γράμματα hoc sensu ponit Aristot. *Polit. VIII*, 3. Porro γραμματικὴν eodem modo definit idem Aristot. *Topic. VI*, 3. nempe per ἐπιστήμην τοῦ γράψαι καὶ ἀναγνῶναι. Conf. Sext. Empiricus *adu. Gramm. I*, 2.

b) Hoc sensu Grammatica accipitur apud Cic. *de Orat. I*, 42. Senec. *ep.* LXXXVIII. Quintil. *I*, 4. Sextum Empir. *adu. Grammat. I*, 1. Vid. Maussacus *in Dissert. Crit.* Harpocrationi subiuncta p. 329. sq. Burmannus ad Valesium *de Critica I*, 1. p. 144. sq.

II. Iuuenes vero, si facultates eorum ferebant, Philosophia imbuebantur a). Hunc in finem Gymnasia erant et Scholae publicae b). Athenis praecipua erant *Academia* c), *Lyceum* d), et κυνόσαργες e). Alia aliis in locis f).

a) Terent. *Andr. I*, 1. v. 30. Huc pertinet lex Solonis inter Leges Atticas lib. 1. tit. 4.


b) De scholis veterum publicis (διδασκαλέοις. Nam gymnasia proprie pertinent ad corporis exercitia) Periz. *ad Aelian. V. H. III*, 21.

c) Aelian. *V. H. IV*, 9. Menag. *ad Laert.* III, 7. p. 141.

d) Aelian. *V. H. IX*, 10. et 29. Menagius *ad Laert.* V, 2. p. 186. sq. Lycei et Academiae simul meminit Cic. *de Diuin. I*, 13. Conf. *Academ. Qu.* I, 17.

e) Schola Antisthenis, secundum Hesychium Miles. initio libelli, et secundum Laert. VI, 13. item Schola Aristonis Chii. Laert. VII, 161. Vid. Pausan. *Attic. XIX.* p. 44.

f) e. g. Κράνειον Corinthi. Lucian. *Dial. Mort.* p. 262. Laert. VI, 77. De Gymnasio in insula Rhodo Cic. *Tusc. Qu.* II, 61. Sueton. *in Tiberio XI.*



CAP. VII.

DE MVSICA.

I. Μουσικὴ dicta quibusdam videtur a nouem Musis [a]): aliis ab Hebraeo *Mosar* i. e. *ars, disciplina* [b]).

a) Isidor. Hispal. *Orig. II.* c. XIV.

b) Vossius *de Idolol. I,* 13. Alias etymologias vide apud Phurnut. *de Nat. Deor.* c. XIV. Clericus *ad Hesiodi Theogon.* v. 52. deriuat a מוצא *motsa, inuentrix.*

II. Auctorem Musices Graeci statuunt Pythagoram [a]), sed falso [b]). Certum est ex historia Mosis, Iubalem inuenisse artem canendi tibia et cithara [c]).

a) Graecis hanc opinionem tribuit Isidor. Hispal. *Orig. II,* 15. Quomodo inuenerit Pythagoras, tradunt Iamblich. *de vita Pythag.* c. XXVI. et in Nicomachi *Arithm.* p. 171. Macrob. *in Somn. Scip. II,* 1. Holsten. *ad Porphyr.* p. 7.

b) Vix credibile, Graecorum quemquam Musicae primordia ad Pythagoram tamquam auctorem retulisse. Nam de vetustioribus artis, si non inuentoribus, certe cultoribus, vulgo constabat, v. c. de Amphione, Lino,

no, aliisque, de quibus Plutarchus *de Musica* p. 1131. F. et. p. 1132. A. B. Quid ergo est? Putem Graecos hoc sibi velle, Pythagoram addidisse noua quaedam arti Musicae, et fuisse praesertim *Musicae rationalis auctorem.* Vid. Vossius *de scientt. Mathem.* c. XX. §. 2. De Musica tempore belli Troiani Feith. *Antiqu. Homer.* IV, 4.

e) Genes. IV, 21.

III. Notae siue voces, quibus comprehendebantur soni, erant septem, singulae *planetis singulis* attributae:

1. Ὑπάτη, *Lunae.*
2. Παρυπάτη, *Ioui.*
3. Λίχανος, *Mercurio.*
4. Μέση, *Soli.*
5. Παραμέση, *Marti.*
6. Τρίτη, *Veneri.*
7. Νήτη, *Saturno.*

Nicomachus *Harmon. II.* apud Meibomium in *antiquae Musicae auctoribus* p. 33. sqq. vbi obseruabis, contrario ordine etiam ὑπάτην *Saturno* et Νήτην *Lunae* tribui. Conf. Aristot. *Probl. Sect.* 19. Philander *ad Vitruu.* V, 4. p. 214. et Vossius *de scientt. Mathem.* c. XX. §. 3. p. 85.

IV. Tonus siue modus in cantilena, quo vel acutiore vel remissiore vtuntur Musici, graece νόμος dicitur. f)

Thucyd. V, 70. Aristoph. *Equ.* 9. Cur νόμος dicatur, inquirit Aristoteles *Probl. XIX.* n. 28. et Plutarchus *de Musica* p. 1133. B. Secundum Aristotelem νόμοι καλοῦνται οἱ μουσικοὶ τρόποι, καθ' οὕς τινας ᾄδομεν, apud Suid. in Νόμοι κιθαρῳδικοί.

V. Huiusmodi νόμοι siue modi Musici quatuor sunt principales: *Phrygius, Lydius, Doricus* et *Ionicus* [a]). Alii addunt quintum, *Aeolicum*

cum b). *Phrygius* modus religioſus, *Lydius* querulus, *Doricus* bellicoſus, *Ionicus* floridus, *Aeolicus* ſimplex c). Modus ad bellum excitans etiam Ὄρθιος dictus d).

a) Ita Muſicae modos enumerat Lucianus *in Harmonide* p. 585. Alii aliter. Vid. Ariſtot. *Polit. IV*, 3. Athenaeus XIV, 5. p. 624. ſq. inter ſcriptores Muſicos Ariſtoxenus pag. 37. Euclides p. 19. Bacchius p. 12. De inuentoribus horum modorum Plin. VII, 56.

b) Bourdelotius *ad Luciani l. c.*

c) Has notas, haec diſcrimina ſingulorum modorum tradit Apuleius *Florid.* p. 342. et Lucian. *l. c.* Adde Ariſtot. *Polit.* VIII, 5. et 7. Vid. Obſeruatt. Miſcell. VII. p. 309.

d) Huius modi Homerus meminit Ιλ. λ. v. 10. ſq. Euſtath. p. 758. lin. 7. Ὄρθιος νόμος, τρόπος ᾠδῆς εἰς πόλεμον ἐρεθιστικός. Vid. Schol. ad Ariſtoph. *Acharn.* v. 16. Herodot. I, *de Arione* pag. 10. B. et ex eo Gellius XVI, 19. Suidas *in* Ὀρθιασμάτων. Ceterum hi modi a Plinio cum Graecis *phthongi* dicuntur, II, 22. alias *moduli*, VII, 56.

VI. Hinc poſtea νόμοι de ipſis *hymnis*, qui ad modos illos canebantur, dici coepti ſunt.

Schol. Ariſtoph. *ad Equit.* v. 9. Vid. Spanh. *ad Callim. h. in Delum* v. 304. p. 509. ſq.

VII. Peragitur autem Muſica dupliciter, vel *ſono oris*, vel *inſtrumentis*.

Hinc quidam Muſices hanc definitionem dedit: τέχνη θεωρητικὴ καὶ πρακτικὴ τελείου μέλους καὶ ὀργανικοῦ, i. e. *Ars contemplatiua et actiua perfecti cantus et organici* apud Ariſtidem Quintilianum *I.* p. 6. Qui tantum inſtrumentis pſallunt, his μουσικὴ ψιλή: qui vero ſimul ad inſtrumenta vocem adhibent, his tribuitur μουσικὴ μετὰ μελῳδίας ab Ariſtotele *Polit.* VIII, 5. Latini dixerunt *aſſa voce* canere, qui ſola voce, non admiſtis in-

instrumentis musicis canerent. Eodem modo *assas* vocarunt *tibias*, quibus caneretur sine chori voce. Vid. Dacerius *ad Festum* in *Assa*. Quis cithara sine voce primus, quis voce cum tibiis canere instituerit, Plinius tradit VII, 56.

VIII. Distinguuntur instrumenta Musica in ἐμπνευστὰ, *quae spiritu inflantur*, et ἔντατα, quae *chordis* et *fidibus tenduntur*.

Pollux IV, 8. segm. 58. Aristid. Quintil. p. 101. similiter distinguit ὄργανα ἐμπνευστὰ et κατατεινόμενα: quae p. 107. etiam ὄργανα διὰ νεύρων ἡρμοσμένα et p. 110. νευρόδετα vocat.

IX. Inter ea instrumenta tria olim fuerunt praecipua: *Cithara*, *Tibia* et *Fistula*.

Plura enumerat Aristoteles *Polit.* VIII, 6. et Pullux IV, 9. segm. 59. Sed tria illa fuisse praecipua, Plutarchus testatur *de Musica* p. 1136.

CAP. VIII.

DE CITHARA.

I. Ex instrumentis, quae fidibus tenduntur, celeberrima fuit *cithara*, graece κιθάρα [a]) et φόρμιγξ [b]).

a) Nam inuentor eius Apollo fertur. Bion *Idyll. III*, 7. Vnde Apollo cum cithara in gemmis. Vid. Perizon. *ad Aelian. V. H. III*, 32. Vnde Apollo φορμικτὴς Aristoph. *Ran.* v. 234. Accedit, heroas et summos reges citharae pulsus olim didicisse v. c. Herculem, Alexandrum M. Aelian. *V. H. III*, 32.

b) Κιθάραν et φόρμιγγα esse vnum idemque instrumentum, colligit ipse Eustath. ad Ιλ. σ. pag. 1222. lin. 38. ex Homeri verbis Ιλ. σ. v. 569. sq. Κιθάραν etiam

etiam eamdem facit Feithius cum lyra *in Antiqu. Hom.* IV, 4. Cui opinioni cum alia fauent, tum locus Ariſtoph. *in Nub.* v. 1358. ſqq. Sed diſputat contra eum Perizon. *ad Aelian. III*, 32. Differentiam porro lyrae citharaeue alii aliter explicant. Interpretes picturarum Herculanenſium ad eam picturam, quae tabulae XXV. ornamenti cauſa praeponitur, lyram dicunt ſemper habuiſſe partem cauam, vnde ſonus referretur: ſed chordas citharae munitas fuiſſe duobus clathris ſeu lignis duobus vel ferramentis transuerſis, ſuperiori alteri, alteri inferiori: citharae porro fuiſſe duo manubria ad vtrumque latus: et hanc videri fuiſſe citharae lyraeque differentiam. Aliter hanc differentiam explicat Fr. Blanchini in diſſ. *de tribus generibus inſtrumentorum muſicae veterum organicae.* cap. II, §. 10. p. 29. Rom. 1742.

II. Vtebantur ea, quum cantarent res geſtas Heroum a), et Amores b).

a) Exemplo eſt Achilles. Hom. ιλ. ι. v. 186. ſq. Canebant etiam cithara res diuinas et humanas. Virgil. *Aen. I*, 744. Inde κίθαρις μήτηρ ὕμνων Ariſtoph. *Thesmophor.* v. 130.

b) Exemplo Demodocus. Homer. οδ. θ. v. 266. ſq. Adde Anacreontem Od. I.

III. Ad *fides* eius veteres vtebantur *lino* a): dein *chordis* ex ouium inteſtinis b).

a) Euſtath. *ad Homer.* ιλ. σ. v. 570. p. 1222. lin. 52.

b) Homer. οδ. φ. v. 408.

IV. Chordae autem olim tres numero fuerunt, vnde talis cithara τρίχορδος dicta a). Dein perfectior facta ſeptem chordarum, quae ἑπτάχορδος b), ἑπτάφθογγος c), et ἑπτάγλωσσος dicta d).

a) Citharam τρίχορδον in Aſia, vrbe Lydiae, primum repertam tradit Stephanus in Ἀσία. Vnde haec cithara

cithara ἀσιὰς dicitur Ariſtoph. *Theſmophor.* v. 126. Conf. Plutarch. *de Muſica* p. 1137. A.

b Plutarchus *de Muſica* p. 1144. F. Macrob. *Saturn. I*, 19. Homer. *h. in Mercur.* v. 51.

c) Eurip. *Ion* v. 881.

d) Pindar. *Nem.* Od. V. ſtr. β. v. 10.

V. Chordas illas pulſabant vel *plectro* [a]), vel *digitis ſolis* [b]), quod graece *κιθαρίζειν* [c]), *κρέειν πλήκτρῳ* [d]), vel *διώκειν* [e]), *δακτυλίοις κρέειν* [f]), et *ψάλλειν* [g]).

a) Pindar. *Nem.* Od. V. ſtr. β. v. 11. Homer. *h. in Mercur.* v. 419. Aelian. *V. H. III*, 32. vbi a Perizonio figura plectri depicta exhibetur.

b) Athenaeus IV. p. 183. D. et XIV, 9. p. 637. D. Virgil. *Aen. VI*, 645.

c) Plutarchi *Apophth. Lacon.* p. 233. F. Ariſtot. *Polit. I*, 4.

d) Anthol. IV, 16. 14.

e) Pindar. *Nem.* Od. V. ſtr. β. v. 11.

f) Pſalm. LXXXI, 3.

g) Athenaeus IV, 25. p. 183. D. Hinc Schol. Ariſtoph. *ad Av.* 218. ψαλμὸς κυρίως ὁ τῆς κιθάρης ἦχος.

CAP. IX.

DE TIBIA ET FISTVLA.

I. *Tibia*, graece *αὐλὸς*, celebre inſtrumentum [a]), adhibebatur in Deorum ſacris, feſtis [b]), ludis [c]), conuiuiis [d]). funeribus et luctu [e]).

a) Inuentrix tibiae rectae Minerua, ſicut obliquae Pan, Bion *Idyll. III*, 7. Alii alios inuentores ponunt. Vid.

Vid. Spanhem. *ad Callim. h. in Dianam* v. 245. Tibicines celebres Timotheus, Ismenias, Marsyas, Olympus. Lucian. *adu. indoctum* p. 381.

b) Vid. Spanhem. *ad Callim. l. c.* Suidas in Ἀυλητῦ. Ouid. *Fast.* VI, 659. Caussam tradit Plin. XXVIII, 2.

c) Aristoph. *Pac.* v. 530. Interpretes Terentii *in Didascaliam Andriae.* Horat. *epist.* II, 1. v. 98. Athenaeus XIV, 2. p. 617, B.

d) v. c. in conuiuiis nuptialibus. Terent. *Adelph.* V, 7. v. 6. sqq. et aliis. Vid. Broukhus. *ad Tibull.* II, 1. v. 86. Athenaeus XV, 1. p. 665. E.

e) Aelian. *V. H.* XII, 43. et Perizon. *ad h. l.* n. 7. Plutarchus *de Musica* p. 1136. C. conf. qui allegantur a Vuolfio *ad Matthaei* IX, 23.

II. Reperta tibia a Iubale [a]). Apud Graecos vero primus tibiae inuentor traditur Hyagnis Phryx [b]), qui vixit tempore Iosuae.

a) Genes. IV, 21.

b) Marmor. Oxoniens. *Epoch.* XIX. De quo Hyagnide Plutarch. *de Musica* p. 1135. E. Athenaeus XIV, 5. p. 624. B. Anthol. I. c. 11. Epigr. Philippi εἰς ἀυλητάς.

III. Conficiebantur tibiae ex ossibus *ceruorum*, vel *hinnulorum* [a]), vnde νέβρειοι ἀυλοί [b]). Quod Thebanorum traditur inuentum [c]). Praeterea etiam ex *asinorum ossibus* [d]), et ex *elephantis* [e]). Item ex *arundine* [f]), *buxo* [g]), et *loto* [h]).

a) Schol. Aristoph. *ad Acharn.* v. 863.

b) Antipater *Anthol.* IV, 28. *epigr.* 13.

c) Athenaeus IV. p. 182. E. Pollux IV, 10. segm. 74.

d) Plutarch. *in Conuiu.* p. 150. E.

e) Athenaeus IV. p. 182. E. Propert. IV, 6. v. 8.

f) Athenaeus IV. p. 182. D.

g) Pollux IV, 10. segm. 74.

h) Eurip.

h) Eurip. *Alceſt.* 346. *Helena* 170. *Herc. Fur.* 684. Spanhem. *ad Callim. h. in Dian.* v. 244. Ouid. *Met.* IV, 760.

IV. Fiſtula, graece σύριγξ, differt a *tibia* αὐλῷ, quia *fiſtularum* ſonus fuit tenuis, et ſubtilis, vnde λεπταλέαι dictae a); *tibiarum* vero ſonus grauis, vnde tibia βαρύβρομος dicta b).

a) Callimacho *h. in Dian.* v. 243. dicuntur ὑπαείδουσαι λεπταλέον σύριγγες, *ſuccinentes tenuiter et ſubtiliter fiſtulae.* Vid. Spanh. *ad h. l.* p. 293. Ouid. *Met.* I, 708. De fiſtula generatim Lennep. *ad Coluth.* p. 72. Obſſ. Miſc. II. p. 94.

b) Ariſtoph. *Nub.* 312. Eurip. *Helena* 1367.

V. Ceterum Muſicae magna vis eſt non tantum in animos a), ſed etiam in corpora hominum. Morbis quibusdam mederi dicitur b).

a) Hoc multis Athenaeus XIV, 5. 6. p. 626. ſqq. (vid. idem p. 623. F.) hoc Plutarch. *in Coniug. Praecept.* p. 143. C. et *de Muſica* p. 1140. B. hoc Aelian. *V. H.* XIV, 23. hoc alii multi docent. Conf. Ariſtot. *Polit.* VIII, 5.

b) Iamblich. in *vita Pythag.* c. XV. pag. 50. ſq. c. XXV. p. 92. Athenaeus XIV, 5. p. 624. A. Gellius IV, 13.

VI. Studioſe curarunt Graeci, vt liberi ſui Muſicam diſcerent.

Aelian. *V. H.* VII, 15. et hic Perizon. Plutarch. *de Muſ.* p. 1140. B. Athenaeus XIV, 5. p. 626. B.

CAP. X.

DE ARTE PINGENDI.

I. In arte pingendi etiam aliquando inſtituebantur apud Graecos pueri a); quae ars dicta γραφική,

φικὴ, ἀπὸ τοῦ γράφειν, quod inter alia *pingere* ſignificat b). Vocatur etiam ζωγραφία c).

a) Ariſtot. *Polit.* VIII. 3.

b) Patet ex definitione τῆς γραφικῆς apud Xenophont. *in Memorab.* III, 10. §. 1. Vid. Euſtath. ad ἰλ. γ. p. 319 lin. 39.

c) e. g. apud Plutarch. *de audiend. Poet.* p. 17. F. vbi ποιητικὴν eſſe dicit μιμητικὴν τέχνην, καὶ δύναμιν ἀντίστροφον τῇ ζωγραφίᾳ.

II. Exigua habuit haec ars primordia, ita vt animalibus, quae pingebant pictores, adſcriberent: *hic eſt bos, ille equus, haec arbor.*

Ariſtot. *Topic.* VI. 2. Aelian. *V. H.* VIII, 8. et praecipue X, 10.

III. Primo vno colore pingere coeperunt a); cui acceſſere poſtea quaterni b), dein plures c).

a) Plin. XXXV, 3. vbi ideo hanc picturam *monochromaton* dictam tradit: quae a Quintil. XII, 10. §. 3. *color ſimplex* dicitur.

b) Philoſtratus *in Apollonio* II, 22. p. 75. Cic. *in Bruto* c. XVIII. n. 70.

c) Decem enumerat Iſidor. Hiſpal. *Orig.* XVI, 17.

IV. Ab Aegyptiis artem videntur accepiſſe Graeci.

Vid. Plin. XXXV, 3. De primis pictoribus vid. etiam Athenagoras Ἀπολογ. p. 129. ſq.

V. Inſtrumenta ad picturam pertinentia ſunt ὀκρίβας et καλύβας, *pulpitum, cui innituntur tabulae, quando pinguntur* a), Πίνακες et πινάκια *ipſae tabulae* b). Λήκυθοι *ampullae*, ſiue *arculae*, in quibus pictores colorum pigmenta aſſerуabant c). Porro κηρὸς, χρώματα, φάρμακα, ἄνθη

ἄνθη d), *cera*, *colores*, *pigmenta*, *flores*. Praeterea γραφὶς et ὑπογραφὶς, *Stilus* et *penicillus* e).

a) Pollux VII, 28. ſegm. 129.
b) Pollux ibid. ſegm. 128.
c) Cic. *ad Attic.* I, 14.
d) Haec omnia habet Pollux VII, 28. ſegm. 128.
e) Pollux *l. c.*

VI. Quod iam ad ipſum opus attinet: coepta pictura, et rudis eius delineatio vocatur ὑποτύπωσις, ὑπογραφὴ, σκιὰ, et σκιαγραφία a): ad finem vero perducta, εἰκών b).

a) Pollux VII. 28. ſegm 127. et 128.
b) Pollux *l. c.* ſegm. 127. Aelian. *V. H.* XIV, 37. et 47.

VII. Haec ars excoli cum coepta eſſet, tandem in artium liberalium numerum eſt recepta a), et tanti fuit ſtudii, vt pueros ingenuos picturam tamquam praecipuam liberalium artium imprimis edocerent Magiſtri b).

a) Galenus *in exhortat. ad artes*, apud Voſſium *de artibus popularibus* c. V. §. 1. p. 61. Adde Barthium et Erhardum *ad Petron.* c. 2.
b) Plin. XXXV. 10.



CAP. XI.

DE CIBO VETERVM GRAECORVM.

I. Vti apud nos hodie, ita etiam apud veteres Graecos praecipuus et maxime neceſſarius cibus erat panis, dictus ἄρτος a). Hinc pro quouis cibo

cibo et potu ponitur [b]). Homero aliisque [c]) panis etiam σῖτος dictus metonymice [d]).

a) De necessitate huius cibi vid. Euripidis *versus apud Athenaeum* IV, 15. p. 158. E. De inuentore panificii Pausan. *Arcad.* IV. p. 604. et Athenaeus III, 26. p. 109. A.

b) Matth. XV, 2.

c) Homer. ιλ. ε. v. 341. θ. v. 507.

d) Hesiod. Ἐργ. v. 146. 604.

II. Ferri solebant panes in canistris, hoc est, sportis e vimine siue canna textis, graece κάνεον, κανοῦν.

Homer. Οδ. α. 147. Theocrit. *Herculisc. Idyll.* XXIV, 135. Virgil. *Aen. I*, 705.

III. Coquebantur autem panes vel sub *cinere*, vnde σποδῖται ἄρτοι [a]) et ἐγκρυφίαι [b]), vel in *furno* κριβάνῳ. vnde κριβανῖται dicti [c]).

a) Athenaeus III, 27. p. 111. E.

b) Idem III, 25. p. 110. A. et B. Suidas *in hac voce* et Hesych. Lucian. *Dial. Mort.* pag 305. Vtuntur hac voce LXX interpretes 1 Reg. XIX, 6. Genes. XVIII, 6. et saepe alias.

c) Athenaeus III, 26. p. 109. F. et p. 110. C. Idem panis vocatur ἰπνίτης ab eodem p. 109. C. Conf. Lucian. *Lexiphan.* p. 823. Cleric. *ad Genes.* XVIII, 6.

IV. Praeterea habuerunt μάζαν, quod fuit genus cibi vel panis vulgaris, qui fiebat e *farina, sale* et *aqua*. Nonnulli *oleum* addunt.

Sic Hesych. in Μάζα. Alii aliter. Vid Schol. Aristoph. *ad Pac.* v. 1. Athenaeus XIV. p. 663. A.

V. Fuit praecipue etiam in vsu ἄλφιτον, id est, *polenta*.

Secundum Eustath. ad ιλ. λ. p. 815. lin. 1. ἄλφιτον est ἄλευρον κρίθινον vel secundum Suidam in Ἄλφιτα, τὸ ἀπὸ νέας κριθῆς ἄλευρον, *farina ex nouo hordeo. Polenta*

lenta vero eſt *torrefacti hordei farina*, vel *perfuſum aqua hordeum, primo ſiccatum, deinde frictum, ac deni que molis fractum.* Plin. VIII, 7. Fuiſſe in vſu, cum aliunde, tum ex porticu Athenienſi, vbi farinae huiusmodi vendi ſolebant, liquet, quae porticus inde ἀλφίτων στοὰ ab Heſych. et στοὰ ἀλφιτόπωλις ab Ariſtoph. *Ecclesiaz.* 682. vocatur.

VI. Item θρῖον, quod fiebat ex *oryza, caſeo, ouis, melle*, et foliis ficulneis inuoluebatur, vnde nomen.

Schol. Ariſtoph. *ad Equit.* v. 1100. Paulo aliter, quid ſit θρῖον, idem Schol. docet *ad Ran.* v. 134.

VII. Praeterea μυττωτὸν, *intritum quoddam*, fiebat ex tritis caſeo, allio, ouis.

Schol. Ariſtoph. *ad Acharn.* v. 173. Plura ad compoſitionem huius cibi requiruntur ab Schol. *ad Equit.* v. 768. Scalig. *in Moretum* p. 157. ſq.

VIII. Pauperiores panem excauabant ſorbitionis gratia, ex quo pane cauato hauriebant ius. Cuiusmodi panis μιστύλλη dicitur a). Vnde verbum μιστυλλᾶσθαι b). *Alliis* etiam et *cepis* victitabant tenuiores in Attica c).

a) Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* v. 627. Alii ſcribunt μιστύλη. Vid. Spanhem. *ad h. l.* et Hemſterhuis.

b) Ariſtoph. *l. c.* et *Equit.* 824.

c) Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* v. 819. et *ad Equit.* v. 597.

IX. Habuerunt etiam varia *placentarum* genera, vt ſunt Πυραμοῦς a), Σησαμοῦς b), Ἄμυλος c), Ἰτρία d), Μελιττοῦτα e), Οἰνοῦττα &c. f).

a) Ariſtoph. *Equit.* 277. cum Schol.

b) Ariſtoph. *Thesmoph.* v. 577.

c) Ariſtoph. *Pac.* 1194.

d) Ariſtoph. *Acharn.* 1091.

e) Ariſtoph. *Nub.* 507. Lucian. *in Lexiphan.* p. 826. Pollux VI, 11. ſegm. 76.

f) Ariſtoph. *Plut.* 1122.

X. Hactenus de panibus aliisque cibis coctis, qui e frugibus terrae maximam partem conficiebantur. Sed ne quis putet Graecos *carnes* plane auerſatos fuiſſe: veſci ſolebant etiam *carnibus animalium*, et quidem vt plurimum *aſſis* a), raro *elixis*, praeſertim temporibus Heroicis.

a) Athenaeus I 10. p. 12. B.

b) Seruius quidem *ad Aen.* I, 710. plane negat, carnium elixarum vſum aliquem fuiſſe temporibus Heroicis; ſed Athenaeus I, 19. p. 25. E. ex ipſis verbis Homeri contrarium docet.

XI. Apud Lacedaemonios carnibus veſcebantur adoleſcentes, viri et ſeniores *iure nigro*, quod graece μέλας ζωμός.

Plutarch. *Inſtitut. Lac.* ab initio p. 236. F. Pollux VI. 9. ſegm. 57. Cic. *Tuſc.* V, 34.

XII. Tenuis ſortis homines etiam locuſtis veſci ſunt ſoliti a), nec non foliorum partibus extimis b).

a) Ariſtoph. *Acharn.* 1115. ſq. vbi ἀκρίδες, et v. 871. vbi τετραπτερυλλίδες vocantur locuſtae. vid. Bochartus *Hierozoic.* P. II. lib. IV. c. 7. Lamb. Bos *in Matthaei* cap. III, 4. Vuolfius *in Curis Philol.* ad Matthaei hunc locum.

b) Aelian. *V. H.* XIII, 26. Ouid. *Faſt.* IV, 393.

XIII. Piſces quoque in deliciis habuerunt Graeci b). Nusquam tamen in Iliade Homeri legimus, piſces appoſitos fuiſſe Heroibus b).

a) Ariſtoph. *Ran.* 1100. Athenaeus VIII, 14. p. 358. E. ſqq.

b) Haec Platonis ſententia eſt III. *de Rep.* T. II. *Opp.* p. 404. B. Non tamen omnes abſtinuiſſe piſcibus,

bus, temporibus etiam Heroicis, manifeſtum ex Athenaeo I, 8. p. 13. A. Adde Plutarch. *Sympoſ.* VII, qu. 8. p. 730. C.

XIV. Similiter in deliciis habuerunt anguillas coctas cum betis: quales anguillae ἐγχέλεις ἐντετευτλανωμέναι dicuntur

Ariſtoph. *Acharn* v. 894. et *Pac.* v. 1014. Conf. Athenaeus VII, 13. p. 300. B. Vide τεῦτλον. Eſ. LI, 20.

XV. Τάριχος etiam comedebant, id eſt, *falſamentum*, et praeſertim ceruices ac ventres piſcium.

Schol. Ariſtoph. *ad Acharn* v. 966. Athenaeus III, 33. p. 119. F. Hinc Athenis ταριχοπωλεῖον. Ariſtoph. *Equit.* 1244. Caſaub *ad Theophraſti Charact. Eth.* c. VI. περὶ ἀπονοίας p. 209.

XVI. Bellaria vt poma, amygdala, nuces, ficus, perſicas &c. quae τρωκτὰ a) τραγήματα b), ἐπιδορπίσματα c) πέμματα d) &c. appellantur, in menſis ſecundis apponebant e).

a) Aelian. *V. H.* I, 31

b) Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* 190.

c) Athenaeus XIV, 10 p. 640. A. et ſq.

d) Idem *ex Antiphane* XIV, 12. p. 642. A.

e) De his menſis ſecundis, quae et Graecis dicuntur δευτέραι τράπεζαι, verboſus eſt Athenaeus XIV, 10. p. 639. B. ſqq. Videndus idem de quaeſtione, vtrum prima menſa inferenda ſint bellaria, nec ne. II, 13. p. 53. C.

XVII. Denique *ſal*, ἅλας, in omni ciborum genere vſum habebat.

Homer. Ιλ. ι. v. 214. Plutarch. *Sympoſ.* VI. p. 685. A.



CAP.

CAP. XII.

DE POTV.

I. Antiquissimis temporibus *potus* Graecorum fuit ὕδωρ, *aqua.*

Homer. ιλ. β. 825. vel *Catal. Nau.* v. 332. Pindar. *Olymp.* Od. VI. str. ε. v. 2. Athenaeus II, 4. p. 41. A. sq.

II. Dein aquae accessit *vinum*, γέννημα τῆς ἀμπέλȣ, οἶνος.

Apud Homerum passim coniuncta reperiuntur σῖτος καὶ οἶνος *panis et vinum* e. g. ιλ. ι. 702. τ. 161.

III. Et non tantum viri, sed etiam mulieres et virgunculae bibebant vinum a), id quod a moribus Romanorum alienum fuit b).

a) Homer. οδ. ζ. 77.

b) Aelian. *V. H. II*, 38. et quos Interpretes ibi citant. Conf. Henelii *Otium Vratislauiense* XXVI. p. 208.

IV. Asseruabant vinum vel in *vasis fictilibus*, κεράμοις dictis a), vel *vtribus* ἀσκοῖς b).

a) Homer. ιλ. ι. v. 465. Vid. Eustath. ad ιλ. ε. v. 387. p. 425. lin. 16. Apud Pollucem VII, 33. segm. 161. Herodotus et Cratinus dixere κεράμιον οἰνηρόν.

b) Homer. ιλ. γ. v. 247. οδ. ζ. v. 78. Idem Homerus et doliorum meminit οδ. β. v. 340.

V. Magno in pretio habitum vinum vetus.

Homer. οδ. β. v. 340. γ. v. 391. Pindar. *Olymp.* Od. IX. antistr. β. v. 15. 16. Athenaeus I, 19. p. 26. A.

VI. Inter vina Graecorum laudatissima fuere οἶνος Πράμνειος, Θάσιος, Λέσβιος, Χῖος, Κρῆς, Κῷος

Κῷος, et Ῥόδιος [a]). Maxime omnium apud Homerum laudatur Μαρεώτης [b]).

a) De his omnibus Aelian. *V. H.* XII, 31. vbi conferri possunt notae Perizonii. Lennep. *ad Coluth.* p. 10.

b) Homer. οδ. ι. v. 194. sqq. Athenaeus I, 20. p. 26. A. Plin. XIV, 4.

VII. Consueuerunt autem vinum miscere aqua, quod κεράσασθαι [a]), vnde κρατῆρος nomen [b]). Craterasque eos coronabant [c]).

a) Homer. οδ. α. v. 110.

b) Athenaeus V, 4. p. 192. F. Eustath. ad ιλ. β. p. 177. lin. 47.

c) Homer. ιλ. α. v. 470. οδ. α. v. 149. Vnde κρητῆρες ἐπιστεφέες οἴνοιο i. e. *crateres coronati vino* ιλ. θ. 232. Virg. *Aen.* I, 724. Interpretationem rei lege apud Athenaeum I, 11. p. 13. D.

VIII. Sed eo tandem progressi sunt luxuriae Graeci, vt vinum vnguento mixtum biberent.

Aelian. XII, 31.

IX. Ex crateribus vero effundebant vinum in pocula, quae varii generis erant.

Homer. οδ. ι. v. 9. sq.

X. Antiquissimi Graeci ex boum cornibus bibisse videntur.

Athenaeus XI, 7. pag. 476. A. Eustath. ad ιλ. γ. p. 883. lin. 6.

XI. Dein habuerunt pocula *fictilia* [a]), *lignea* [b]), *vitrea* [c]), *aenea* [d]), *aurea* [e]), et *argentea* [f]). Praecipua eorum nomina haec sunt: Φιάλη, ποτήριον, κύλιξ, δέπας, κύπελλον, ἀμφικύπελλον, σκύφος, κυμβίον, κισσύβιον, γαστὴρ, κώθων, δεῖνος et δεινιὰς, Θηρίκλειος, βαυκάλιον, &c.

&c g) quorum alia a *forma*, alia a *materia*, alia aliunde nomen acceperunt.

a) Athenaeus XI, 3. p. 464. A.
b) Idem ibid. c. 6. p. 470. F. et p. 477. A.
c) Ariſtoph. *Acharn.* v. 73.
d) Pollux X, 26 ſegm. 122.
e) Athenaeus XI, 3. p. 463. E.
f) Athenaeus ibid. p. 465. D ſq.
g) Haec poculorum genera et plura enumerat et deſcribit Athenaeus Libro vndecimo fere toto a pag. 467. ad pag. 503. Conf. Pollux VI, 16 ſegm. 95. ſqq. Βαυκάλιον eſt vas anguſti oris, ſonum edens, dum aliquid infunditur, quod βαύζει *baubatur.*

XII. Ebrietas probroſa habita fuit Graecis [a]. Sed tamen largius aliquando ſe inuitarunt maioribus poculis, quoties genio indulgere ſolebant [b]).

a) Athenaeus X, 6. p. 427. F. Pittacus in eos, qui temulenti peccant, grauiores poenas conſtituit. Ariſtot. *Rhetor. II.* 25. Idem patet ex lege Solonis in ebrium Ἄρχοντα apud Laert. I, 57. item ex legibus Atticis *de Conuiuiis* lib. VIII tit. XI. porro ex conſuetudine Spartanorum in phiditiis apud Plutarch. *adu. Stoicos* p. 1067. D.

b) Homer. Ιλ. ι. 202. ſq. Cic. *in Verr.* lib. I. act. 2. c. XXVI. Alexis *apud Athenaeum* X, 8. p. 431. C.

CAP. XIII.

DE TEMPORE CAPIENDI CIBVM, ET CONVIVIORVM GENERIBVS.

I. Tempora cibi ſumendi ſtata habuerunt Graeci tria, ſcilicet *mane*, *meridie* et *veſperi*. Mane

Mane quod ſumebant, dicebatur ἄριστον [a]). Ἄριστον etiam vocatur ἀκρατισμὸς, vel ἀκράτισμα, et διανηστισμὸς [b]); meridie δεῖπνον [c]), veſperi δόρπον [d]).

a) Athenaeus I, 9. p. 11. C. Homer. ὀδ. π. v. 2. Periz. *ad Aelian. IX*, 19.

b) Denominationes has omnes lege apud Athenaeum *l. c.*

c) Praeter Athenaeum *l. c.* vide Homer. ιλ. β. v. 381. cum Schol.

d) Homer. ὀδ. β. 20.

II. Deinceps vero mutata ſunt nomina, et ἄριστον dici coeptum de *prandio*, δόρπον de *merenda*, δεῖπνον de *coena*.

Conf. Athenaeum *l. c.* Euſtath. ad ὀδ. β. p. 76. lin. 44. ſqq. et ad ὀδ. π. p. 589. lin. 42.

III. Parcius prandebant, lautius coenabant.

Plutarch. *Sympoſ. VIII. qu.* 6. p. 726. C.

IV. Conuiuiorum ſolemniorum tria apud Graecos in vſu fuere genera, ἔρανος, γάμος, εἰλαπίνη.

Homer. ὀδ. λ. v. 414. tria illa vno verſu exhibet.

V. Ἔρανος erat conuiuium, quod fiebat e ſymbolis, quum ſinguli ex conuiuis pecuniae portionem conferebant ad parandum conuiuium.

Scholia ad ὀδ. α. v. 226. ἔρανος, τὸ ἀπὸ συμβολῆς δεῖπνον, *coena a ſymbolarum collatoribus*, vt Plautus loquitur *Curcul. IV*, 1. 13. Athenaeus VIII, 16. p. 362. E.

VI. Γάμος epulum, quod dabatur nuptiarum gratia.

Pollux *III*, 3. ſegm. 44. Hoc ſenſu γάμος vſurpatur Matth. XXII, 2.

VII. Εἰλα-

VII. Εἰλαπίνη epulum magnificum, quod quamuis aliam ob caufam dabatur.

Schol. Homer. ad Οδ. α. 226. εἰλαπίνη, ἡ μεγάλη εὐωχία. Athenaeus VIII, 16. p. 362. fq. Euftath. ad *Homer.* Οδ. α. p. 50 lin. 12.

CAP. XIV.

DE RITIBVS CONVIVIORVM.

I. Antiquiffimus mos Graecis fuit in conuiuiis *affidere* ad menfas a). Poftea aucta luxuria *accumbere* coeperunt in *lectis* b).

a) Homer. Ιλ. κ. 578. ω. 315. Athenaeus I, 10. p. 11. F.

b) Athenaeus I, 14. p. 17. F. et p. 18. B. Cafaubon. *ad Annales Baronii XVI,* 22. pag. 432. Lipfius *Lectt. Antiqu. III.* p. 94. fqq.

II. Lecti illi κλῖναι dicti a): qui apud opulentiores eburneos habebant pedes b): fternebantur lecti ftragulis, quae graece ςρώματα c), et ceruicalia in iis ponebantur, quae προσκεφάλαια d).

a) Pollux VI, 1. fegm. 9. Aelian *V. H. XII,* 51.

b) Athenaeus II, 9. p. 48. B. vbi Plato poeta vocat κλίνας ἐλεφαντόποδας. Similiter apud Aelian *V. H. VIII.* 7. occurrit κλίνη ἀργυρόπȣς, item χρυσόπȣς.

c) Athenaeus *l. c.*

d) Idem *ex Phrynicho II,* 8. p. 47. F.

III. *Menfae*, τράπεζαι primis temporibus fuere quadratae a).

a) Seu *oblongae*, non *orbiculares* fecundum Euftath. ad Οδ. κ. 138. p. 34. lin. 33.

IV. Ad menſas eas in lectis ſingulis plerumque terni cubabant; primus ad caput lecti, ſecundus vertebat occiput ad vmbilicum primi, interiecto puluino, et pedes porrigebat ad dorſum tertii, et ſic deinceps tertius.

Quia ritus accumbendi et Graecorum et Hebraeorum et Romanorum fuit communis, iuuabit inſpicere figuras hunc ritum repraeſentantes apud Mercurialem *de Arte Gymnaſt. I*, 11. ſimulque conferre Interpretes ad Io. XIII, 23. ſq. ad Horat. *Sat.* I. 4. v. 86. ad Virgil. *Aen. I*, 702. Si plures tribus, quatuorue in eodem lecto cubarent, id ſordidum habebatur Cic. *in Piſon.* 27. Adde Io. Alſtorphium *de Lectis* p. 109. 116. et quos Zornius citat in *Biblioth. Antiqu Exeget.* p. 536.

V. Apud Graecos honoratiſſimus fuit locus *primus*.

Plutarch. *Sympoſ. I*, 3. p. 619. B. Alſtorphius *l. c.* p. 117.

VI. Conuiuarum numerus varius fuit: initio *tres* vel *quinque*, non plures vna coenare ſoliti fuere [a]), poſtea *nouem* et plures [b]).

a) Athenaeus I, 4. p. 4. F.

b) Idem XV, 3. p. 671. A. Sed dubitari poſſe videtur, an vnquam conuiuarum numerus ſatis definitus fuerit. Conf. et Euſtath. ad ιλ. β. p. 144. lin. 18.

Notum eſt illud Varronis, *conuiuarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero, et progredi ad Muſarum*, ex *Gellio XIII*, 11. Sed aliud conſilia ſapientum, aliud ritus gentium.

VII. Accumbentibus iam conuiuis ſingulis aequalis diſtribui ſolebat portio carnium. Vnde conuiuium δαὶς dictum [a]), et *ſector* vel *ſciſſor*, qui carnes diſtribuebat, δαιτρὸς [b]), et δαιτυμὼν [c]).

Non

Non tamen ſemper dein obtinuit haec diſtributio in conuiuiis d).

a) Athenaeus I, 10. p. 12. C.

b) Homer. Οδ. α. 141. δ. 57.

c) Haec vox alibi apud Homerum ſignificat συμπότην *conuiuam*, ſed Οδ. δ. 621. τὸν τὴν δαῖτα ἑτοιμάζοντα. Vid. Euſtath. *ad h. l.* p. 190. lin. 26. i. e. *epulas inſtituentem*. Vid. Idem ad Οδ. χ. 12. p. 771. lin. 6. Similiter Plutarchus *Sympoſ. II*, 10. p. 644. A. δαιτρὸς quidem vocat τραπεζοκόμους i. e. *miniſtros menſae*; at δαιτυμόνας dicit τοὺς ἑστιωμένους i. e. *eos, qui epulas inſtituunt.*

d) Hoc oſtendit ex Homero Athenaeus I, 11. p. 13. E. adductis exemplis Diomedis, Aiacis, aliorum, qui pluribus carnibus, quam alii, pluribusque poculis honorantur.

VIII. Et vt *carnes*, ſic etiam *pocula* ex aequo diſtribuebantur.

Athenaeus V, 4. p. 192. F.

IX. Fundebatur conuiuis vinum a pueris adſtantibus, qui κοῦροι a), κήρυκες b), διάκονοι c), οἰνοχόοι d). Helleſpontiis dicti ἐπεγχύται e).

a) Homer. Οδ. α. 149.

b) Homer. Οδ. α. 142.

c) Io. II, 5. vid. Elſner. *ad Luc. XVII*, 8.

d) Homer. Ιλ. β. γ. 128.

e) Athenaeus X, 7. p. 425. C.

X. Hi Heroum tempore non erant ſerui, ſed ingenui, liberi a), imo nobiliſſimorum et principum filii b).

a) Athenaeus V, 4. p. 192. B. C.

b) Exempli gr. Menelai filius apud Homer. Οδ. ο. v. 141.

XI. Pocula ad menſam bibebant tria in honorem Deorum. Quorum primum ſacrabatur *Ioui*,

Ioui, ſecundum *Heroibus*, ſiue *Semideis*, tertium *Ioui* Σωτῆρι. Hoc etiam τέλειον dixere poculum.

Sic tria illa pocula enumerantur ab Schol. Pindari *ad Iſthm.* Od. VI. ſtr. α. v. 5. et 11. Alii aliter. Vid. Pollux VI, 16. ſegm. 100. Athenaeus XV, 5. p. 675. B. Adde II, 1. p. 36. C. Suidas in Κρατὴρ et Ἀγαθοῦ Δαίμονος.

XII. In fine conuiuii, quum remoueretur menſa, bibebant poculum ἀγαθοῦ Δαίμονος [a]), quo nomine Bacchum, vini repertorem, deſignabant [b]).

a) Schol. Ariſtoph. *ad Equit.* v. 85. Aelian. *V. H* I, 20. Athenaeus XV, 13 14. p. 692. F. et 693. Küſter. *ad Suid.* in Ἀγαθοῦ Δαίμ.

b) Athenaeus XV, 5. p. 675. B. Ceterum de hoc poculo et de Διὸς Σωτῆρος videndus Io. Ienſius *in epiſt. ad I. G. Graeuium*, *Lectionibus Lucianeis adiuncta* p. 399. ſq.

XIII. Adhibebant etiam cantica et ſaltationes.

Homer. Οδ. α. 152. Athenaeus I, 12. p. 14. A. De carminibus conuiualibus, quae *ſcolia* dicuntur, vid. Schol. Ariſtoph. *Ran.* 1337. et *Veſp.* 1217.

XIV. Quumque ſatis ſe oblectaſſent abibant ex conuiuio domum, quod Graece γίνεσθαι ἐκ δείπνου, vel ἀναλύειν ἐκ συμποσίου.

Aelian. *V. H. IV*, 23. Lamb. Bos *ad Philipp.* I, 23. Athenaeus habet τοῦ συμποσίου ἀποστῆναι V, 4. p. 192. A. et paulo poſt ἀπολύεσθαι; item ἀπὸ τῶν δείπνων ἀναλύειν I, 13. p. 16. B. Plura Pollux VI, 20. ſegm. 112.

CAP.



CAP. XV.

DE VESTITV GRAECORVM ET PRIMO DE CAPITIS TEGVMENTIS.

I. Antiquitus Viris Graecis mos fere erat, vt Aegyptiis a), capite esse nudo b). Vsos tamen procedente tempore *pileis* legimus, quae graece πῖλοι c), πιλία d), vel πιλίδια dicuntur e).

a) Herodotus III. p. 187. A.

b) Lucian. *de Gymnas.* p. 278.

c) Hesiod. Ἔργ. 546. Pollux VII, 33. segm. 171. Graeuius *ad Hesiodi* Ἔργ. v. 542.

d) Athenaeus XV, 13. p. 692. C.

e) Aristoph. *Acharn.* v. 438.

II. Mulieres vero semper capitis tegmen habebant. Tegmina et ornamenta capitis muliebris reperiuntur haec fere: κάλυπτρα a), ἄμπυξ b), κρήδεμνον c), κεκρύφαλος d), μίτρα e), ὀπισθοσφενδόνη f).

a) Homer. Οδ. ε. 232. Ad quem locum Eustath. p. 217. lin. 38. idem esse scribit, quod κρήδεμνον. Adde Hesiod. *Theogon.* v. 574.

b) i. e. *fascia, qua mulierum coma redimitur.* Homer. Ιλ. χ. 468. Graeu. *ad Hesiod. Theogon.* 916. v. 118. Lennep *ad Coluth.* p. 8.

c) *Vitta, velamentum capitis ad humeros demissum,* vt exponit Eustath. ad Ιλ. ξ. p. 964. lin. 39. vid. Homer. Ιλ. χ 470. Lennep. *ad Coluth* p. 6.

d) *Reticulum vinciendis mulierum crinibus.* Aristoph. *Thesmophor.* 145. Eustath. ad Ιλ. χ. p. 1386. lin. 32.

e) *Fascia religandis comis barbararum fere mulierum.* Aristoph *Thesmophor.* 264. Eustath. ad Ιλ. π. p. 1089. lin. 13. et ad Οδ. κ. p. 398. lin. 8. Graeu. *ad Hesiod. Theogon.* 916.

f) *Genus*

f) *Genus reticuli capiti muliebri risus mouendi caussa circumpositi*, vt explicat Eustath. *in Dionys. Perieg.* 7. vid. et Pollux V, 16. segm. 96.

III. Quidam Atheniensium aureas *cicadas*, graece τέττιγας, capillis suis innectebant [a]), indicio quod essent αὐτόχθονες, ex antiquis illis et nobilibus [b]).

a) Thucyd. I, 6. et Wasseus *ad h. l.* Lennep. *ad Coluth.* p. 55.

b) Schol. Aristoph. *ad Nub.* v. 980. Conf. Scaliger *in Virgilii Cirin* p. 55. sq. *in Catalect.* Virgilii. Perizonius *ad Aelian. V. H. IV*, 22.

IV. Feminae luxuriosae vetustissimis temporibus *fasciam altiorem* gerebant in capite, quae ϛεφάνη ὑψηλὴ dicitur.

Aelian. *V. H. I*, 18. Adde Hadr. Iunium *de Coma* c. VII. p. 549.

V. Ab auribus earum dependebant *inaures*, graece ἕρματα [a]), ἐνώτια [b]), ἕλικες [c]).

a) *Inaures.* Homer. ιλ. ξ. 182. et οδ. σ. 296. Eustathio definiuntur *ornatus auriculis insertus* ad ιλ. p. 964. lin. 26.

b) *Inaures.* Aelian. *V. H. I*, 18.

c) *Inaures.* Homer. ιλ. σ. v. 401. *h. in Ven.* 87. Eustath. ad οδ. α. p. 24. lin. 49.

VI. Ceruices earumdem ornabantur *monili*, quod graece ὅρμος.

Homer. ιλ. σ. 401. ὅρμος, περιτραχήλιος κόσμος. Eustath. ad ιλ. σ. p. 1204. lin. 18. Aristoph. *Lysistr.* 409.

****

CAP. XVI.

DE CORPORIS TEGVMENTIS.

I. Corporis tegumentum graece vocatur in genere ἐσθὴς [a]), ἔσθημα [b]), ἔσθησις [c]), poetis

εἷμα [d]). Veſtimentum *interius* virile pariter ac muliebre erat χιτὼν, *tunica* [e]). Χιτὼν ὀρθοϛάδιος erat *recta tunica* [f]). Χιτὼν dicitur ἐνδύεσθαι [g]).

a) Aelian. *V. H. VII*, 8.
b) Aelian. *V. H. I*, 2.
c) Pollux X, 12. ſegm. 51.
d) Heſiod. *Scut.* 159. Homer. Οδ. β. v. 3.
e) Veſtimentum interius eſſe, manifeſtum ex Homer. Ιλ. β. 262. Οδ. τ. 232. ex eo, quod Athenaeus XIII, 6. p. 590. F. Phrynae tribuit ἐχέσαρκον χιτώνιον; ex Herodoto I. pag. 4. D. Ouid. *Amor. III*, 14, 21. Ex quibus locis ſimul hoc intelligis, tunicam et ad viros et ad mulieres pertinere.
f) Ariſtoph. *Lyſiſtr.* 45. Vid. quae notant viri docti ad Polluc. VII, 13. ſegm. 48.
g) Aelian. *V. H. I*, 16.

II. Opulentae et luxurioſae mulieres partem tunicae ab humeris vsque ad manus non habebant conſutam, ſed perpetuis *fibulis*, graece περόναις [a]), et πόρπαις [b]) aureis et argenteis adſtrictam [c]).

a) Homer. Οδ. τ. v. 256.
b) Homer. Ιλ. σ. v. 401.
c) Aelian. *V. H. I*, 18.

III. Geſtabant eaedem etiam ἔγκυκλον χιτώνιον.

Vtrum exterius (ἱμάτιον), an interius veſtimentum fuerit, (χιτώνιον), incertum. Apud Ariſtoph. *Theſmophor.* 260. Euripides induit κροκωτὸν primum, dein v. 268. ἔγκυκλον. Sed Pauſanias apud Euſtath. ad Ιλ. ξ. p. 964. lin. 6. ſq. pro veſte interiore habet. Vid. Perizonius *ad Aelian. V. H. VII*, 9. Pollux VII, 13. ſegm. 53. et 56.

IV. Ἱμάτιον alio nomine φᾶρος a), latine *pallium*, veſtis exterior virilis apud Graecos b), vt *toga* apud Romanos. Φᾶρος vel ἱμάτιον dicitur περιβάλλεσθαι c), et ἀναβάλλεσθαι d). Legitur etiam ſaepius ἀναβάλλεσθαι ἱμάτιον ἐπ' ἀριστερά, et ἐπὶ δεξιά e). Vnde nomina ἀναβόλαιον f) et περιβόλαιον g).

a) Homer. Ἰλ. β. v. 43. Per ἱμάτιον explicat Euſtath. ad Ὀδ. β. p. 83. lin. 36. Vid. Biſetus *ad Ariſtoph. Thesmoph.* 897. Lennep. *ad Coluth.* p. 175.

b) Colligitur ex Homero Ἰλ. β. v. 43. item ex eo quod περιβάλλεται.

c) Homer. Ἰλ. β. 43. Aelian. *V. H. I*, 16.

d) Suid. in Ἀναβάλλει. Ariſtoph. *Veſp.* 1147. Perizon. *ad Aelian. VII*, 8.

e) Athenaeus I, 18. p. 21. B. et Caſaub. *in Athenaeum I*, 18. p. 33.

f) Vel etiam ἀναβολὴ apud Lucian. *Hermot.* p. 517. Vid. Perizon. *ad Aelian. VII*, 9.

g) Suidas in hac voce. Dicitur et περιβολὴ et περίβλημα eodem ſenſu. Vid. Schol. Theocrit. *Idyll. XI*, 19. Herodian. IV, 7. §. 5. et ἀμπεχόνη Xenoph. *Memorab.* I, 2. §. 5.

V. Χλαῖνα veſtis pinguior, quae frigus a corpore arcet, exterior a). Latinis *laena* b). Fuit ἁπλοῖς c), et διπλῆ d).

a) Suid. *in hac voce:* τὸ παχὺ καὶ χειμερινὸν ἱμάτιον. Id quod etiam ex Homero patet Ἰλ. π. 224. et Ὀδ. ξ. 529. et 487. ſqq. Meurſ. *ad Lycophr.* 635.

b) Plutarch. *in Numa* p. 64. C.

c) i. e. *ſimplex.* Homer. Ἰλ. ω. 230.

d) i. e. *duplex.* Homer. Ἰλ. κ. 134. Ὀδ. τ. 226. Vid. Pollux VII, 13. ſegm. 47.

VI. Φαι-

VI. Φαινόλης a) et Φαιλώνης *paenula*, vestis fere rotunda sine manicis b), quae praecipue frigoris et pluuiae causa sumebatur c).

a) Suidas in Φαινόλης et Paulus 2 Tim. IV, 13. vbi vid. Interpretes.

b) Rotundam et sine manicis fuisse docet Bartholin. *de Paenula* c. IV, p. 29.

c) Quum paenula et Φαινόλης, seu φαιλόνης, seu φαιλώνης, seu denique φενόλης, vna eademque res sit, et aut graecum verbum e latino, vt quibusdam placet, aut latinum e graeco ortum; quicquid de paenula dicitur, περὶ τῦ φαινόλυ dicendum erit. Itaque adi Horat. I, ep. XI, v. 18. et veterem *ad h. l.* interpretem. Iuuenal. *Sat.* V, 79. Quintil. VI, 3. §. 64. Plura Bartholinus *l. c.* c. VI. p. 49. sq.

VII. Λῆδος et ληδάριον, vestis vtrique sexui communis.

Pollux VII, 13. segm. 48. Aristoph. *Au.* 716. et 916. habet λῃδάριον, quod Scholia exponunt per θερίριον, ἢ εὐτελὲς ἱμάτιον θερινόν.

VIII. Ἐφεστρὶς *lacerna* a) ex caprinis pellibus b), alias μανδύας, et βαίτιον c).

a) Pollux VII, 13. segm. 61.

b) Suidas in Ἐφεστρίς.

c) Artemidor. II, 3. et ex eo Suidas *l. c.* Pro βαίτιον scribitur et βαίτον.

IX. Τρίβων et τριβώνιον *philosophorum et tenuiorum hominum pallium* a), erat detrita vestis et lenior b); antiquitus etiam vestis *forensis et iudicialis* c).

a) Lucianus vix vsquam Philosophi meminit, quin simul *tribonis* meminerit. Vid. *Vitarum Auction.* p. 375. vbi de Diogenis pallio. *Bis Accusat.* p. 216. et p. 234. Sic apud Athenaeum IV, 28. p. 161. F. *Pythagorici*; apud Plutarch. *de Fortitud. Alex.* p. 330. C. *Aristippus* tribonem gestat. Non tamen omnium philosophorum

losophorum hic habitus. Id quod vel exempla Pythagorae apud Laert. VIII, 19. et Ariſtotelis apud Aelian. III, 19. euincunt. Porro aliorum etiam eorumque pauperum fuiſſe hoc pallium, apparet ex Ariſtoph. *Plut.* 714. 843. &c.

b) Schol. Ariſtoph. *ad Plut.* 714. Lucian. *Dial. Mort.* p. 263.

c) Schol. Ariſtoph. *ad Veſp.* 31. Imo apud Aelian. *V. H.* V, 5. VII, 13. Epaminondas et Ageſilaus tribonium geſtaſſe leguntur.

X. Ἐπωμὶς veſtis muliebris breuior, quae humeris iniiciebatur.

Athenaeus XIII, 9. p. 608. B. Pollux VII. ſegm. 49. Perizon. *ad Aelian.* IX, 34.

XI. Πέπλος muliebris veſtis exterior a), vt et ζῶσρον b).

a) Homer. ιλ. ζ. 289. Euſtath ad ιλ. β. p. 123. lin. 48. Fuiſſe veſtem exteriorem, colligere licet ex eo, quod mulieres apud Homerum dicuntur paſſim ἑλκεσίπεπλοι. e. g. ιλ. ζ. 442. Fuiſſe vero et virorum veſtem, notat Euſtath. ad ιλ. ε. p. 456. lin. 40. De peplo Dearum Spanhem. *in h. in Pallad.* 70. p. 599. de peplo Mineruae Scaliger *in Cirin* p. 48

b) *Cingulum.* Homer. οδ. ζ. 38. Euſtath. ad οδ. p. 245. lin. 13. ζῶσρα interpretatur τὰ πρὸς τὴν ζώνην ἐπιτήδεια, οἷς ἐστι ζώσασθαι.

XII. Στολὴ veſtis oblonga, talaris.

Haec certe eſt ſtola Latinorum. Horat. I. *Sat.* 2 99. Apud Graecos latius patet vocabulum. Vid. Perizon. *ad Aelian.* III, 24.

XIII Κατωνάκη veſtis *ſeruilis* ab inferiore parte pellem ouinam habens adſutam.

Ariſtoph. *Eccleſiaz.* 719. et Schol. *ad h. l.* praecipue *Lyſiſtr.* 1153. Vnde ſua Suidas.

XIV. Ἐξωμὶς veſtis *ſeruilis*, vnicam habens manicam a), vſum praebebat et tunicae et pallii b). Non

Non tamen ſolum ſeruorum veſtis, aliquando etiam alii geſtabant c).

a) Schol. Ariſtoph. *ad Veſp.* 442. interpretatur ἱμάτιον δȣλικὸν καὶ ἑτερομάσχαλον. Quocum confer Suidam in Ἐξωμίς.

b) Heſych. in Ἐξωμίς.

c) Aelian. *V. H. IX*, 34. ibique Perizonius. Conf. Xenoph. *Memorab.* II, 7. §. 5.

XV. Βάιτη a) et διφθέρα b), veſtis *paſtoralis*, conficiebatur ex pellibus c).

a) Theocrit. *Idyll. III*, 25. et Schol. *ad h. l.* Adde *Idyll.* V, 15. cum Schol. et Heſych. in Βαίτη.

b) Ariſtoph. *Nub.* 72. *Theophraſt. Charact. Eth.* c. V, περὶ ἀγροικίας.

c) Nam διφθέραι ſunt *pelles*, et quicquid ex pellibus fit, *tentoria*, *veſtes*, *libri.* Perizon. *ad Aelian. IX*, 3.

XVI. Ἐγκόμβωμα amiculum *paſtorale* a), etiam puellarum b) et ſeruorum c).

a) Longus *in Paſtoral.* p. 60.

b) Varro in Fragm. ex libro *de Liberis educandis* p. 160. ex Nonio.

c) Pollux IV, 18. ſegm. 119. Vuolfius *in Cur. Philol. ad* 1 Petr. V, 5.

XVII. χλαμὺς veſtis *militaris*, quae ſuperiniiciebatur tunicae loricae &c.

Aelian. *V. H.* XIV, 10. Antiphanes apud Polluc. X, 16. ſegm. 62. cum nota Kuhnii. Sed huius veſtis vſus late patet, et pertinet etiam ad ephebos, ad mulieres, &c. vt partim Pollux, partim Ferrarius docent. Vid. Ouid. *Met.* V, 51.

XVIII. χλανὶς veſtis *tenuis* a). κροκωτὸς et κροκωτίον *crocota* et *crocotula* b). Συμμετρία veſtis

tis *talaris* c). Θέριστρον vel θερίστριον vestis *aestiua* d).

a) Menander *Fragm.* p. 136. Interprete Hesychio est λεπτὸν ἱμάτιον.

b) *Vestis muliebris.* Aristoph. *Ecclesiaz.* 874. *vestis Bacchi.* Aristoph *Ran* v. 46. imo et *Herculis Omphalae seruientis* apud Lucian. *Quomodo scrib. sit Hist.* pag. 609. Vnde prouerb. γαλῆ κροκωτὸν *mustelae crocotam* scil. addis h. e. *honorem confers in indignum.*

c) Χιτὼν ποδήρης. Pollux VII, 13. segm. 54. vestis muliebris syrmate carens. Hesych. *in hac voce.*


d) Genes. XXIV, 65. et XXXVIII, 19. vbi LXX. צָעִיף vertunt θέριστρον i. e. λεπτὸν ὕφασμα, θερινὸν ἱμάτιον secundum Hesychium.

XIX. Στρόφιον *zona teres*, siue *fascia mammillari*.

Μαστῶν ἔνδυμα in epigrammat. vet. apud Spanhem. *ad Callim.* 135. Conf. Aristoph. *Thesmoph.* 146. Anacreonti Od. 20. dicitur ταινίη μαστῶν. Vid. Catull. LXV, 64. Martiali XIV, 138. est *fascia pectoralis.* Dicitur simpliciter ταινία, item στηθοδεσμὶς, Achilli Tatio I. ζώνη τοὺς μαζοὺς κλείουσα. Ad quem locum vid. Salmasius p. 543.

XX. Ψέλλιον *armilla*, qua bracchia et manus condecorabant mulieres apud Graecos.

Pausan. *Eliac. prior.* 20. pag. 429. Aelian. *V. H. II*, 14. Suidas ψέλλιον exponit κόσμον τῆς χειρός. Plura vide apud Th. Bartholin. *de Armillis Veterum* §. 1. et 2.



CAP.

CAP. XVII.

DE PEDVM TEGVMENTIS.

I. Tegumenta pedum in genere vocantur *ὑποδήματα calceamenta*, proprie *ſoleae* [a]), quae plantis pedum ſubligabantur loris ſiue funiculis, qui Graecis *ἱμάντες* [b]). *Induere calceamenta* Graecis *ὑποδεῖν* [c]), *exuere λύειν* et *ὑπολύειν* dicitur [d]).

a) Ariſtot. *Polit. I*, 6. De ſolea Gell. XIII, 21. Balduini *Calceus antiquus* c. XI.

b) Marc. *I*. 7. Luc. *III*, 16. et interpretes ad hos locos. Adde Perizon. *ad Aelian. IX*, 11.

c) Marc. VI, 9. Aelian. *V. H. I*, 18. Ariſtoph. *Eccleſiaz.* 269.

d) Ariſtoph. *Theſmoph.* 1194. *Lyſiſtr.* 949.

II. Vocantur etiam *πέδιλα* poetis.

Homer. ιλ. β. 44. οδ. ξ. v. 23.

III. *Διάβαθρα* calceamenta viris feminisque communia.

Pollux VII, 22. ſegm. 90.

IV. *Σάνδαλα* [a]) vel *σανδάλια* [b]) olim propria fuere Heroinis [c]), opulentis et luxurioſis feminis [d]).

a) Homer. *h. in Mercur. primo* v. 79.

b) Lucian. *Diall. Meretr.* p. 554. et ſq.

c) Hinc Omphalae tribuuntur a Luciano *Dial. Deor.* p. 208.

d) Aelian. *V. H. I*, 18. et *ad h. l.* Periz. *Iudith.* X, 4.

V. Βλαῦται calcei maxime domeſtici.

Ariſtoph. *Equit.* 885. Aelian. *V. H.* VI, 11. vbi conſule Perizonium.

VI. Κο-

VI. κονίποδες ſimile genus calceamentorum a), quae erant humilia et tenuia b).

a) Clemens Alexandr. *Paedag. II*, 11. p. 152.

b) Ariſtoph. *Eccleſiaz.* 843. Kuhn *ad Polluc.* VII, 22. ſegm. 86.

VII. Περιβαρίδες calcei ingenuarum et nobilium.

Ariſtoph. *Lyſiſtr.* 45. 48. Pollux VII, 22. ſegm. 92. affirmat, hos calceos eſſe ancillarum. Quod vt verum eſſe credam, faciunt verſus Cephiſodori apud eumdem Polluc. VII, 22. ſegm. 87.

VIII. κρηπῖδες calceamenti genus a). Vnde Latinorum *crepidae* b). Nonnullis militare geſtamen fuiſſe dicitur c). Etiam ἀρπίδες d).

a) Aelian. *V. H.* IX, 3. Herodian. IV, 8.

b) Gell. XIII, 21.

c) Valer. Max. IX, 1. 4. *extern.*

d) Pollux VII, 22. ſegm. 85. et Heſych.

IX. Ἀρβύλαι calceamenti genus non operoſi.

Eurip. *Oreſt.* 140. et *Herc. Fur.* 1304. Aliter Pollux VII, 22. ſegm. 86. quem Bos ſequitur; aliter Schol. Eurip. *ad Oreſt. l. c.* vocem explicat. Voſſ. *ad Catull.* p. 327. et 290.

X. Περσικαὶ muliebre calceamentum a) album, a meretricibus geſtari ſolitum a).

a) Ariſtoph. *Nub.* 151. cum Schol.

b) Haec Pollux VII. 22. ſegm. 92. firmare videtur: videtur, inquam. Nam aliter explicari poteſt. Ex aliis auctoribus vile calceamentum fuiſſe apparet et muliebre; meretricium fuiſſe non apparet. Vid. Briſſon. *de Regno Perſ. II*, p. 253.

XI. Λακωνικαὶ a) et ἀμυκλαΐδες b) calcei Laconici, colore rubro c).

a) Ari-

a) Ariſtoph. *Veſp.* 1153. cum Schol.
b) Heſych. in Λακωνικαὶ et Ἀμυκλαΐδες.
c) Pollux VII, 22. ſegm. 88.

XII. Καρβατίναι calceamentum vile et ruſticum.

Xenoph *Exped.* IV. p. 259. lin. 30. Vnde apparet, *carbatinas* fuiſſe factas de corio crudo. Conf. Voſſius *ad Catull.* p. 327. Fuiſſe ruſticum calceamentum, teſtis Heſychius et Luciani Schol. *ad Philopſeud.* p. 35.

XIII. Ἐμβάται calceamenta Comica.

Pollux VII, 22. ſegm. 91.

XIV. Κόθορνοι calceamentum Tragicum [a]), vtrique pedi conueniens [b]). Item Ἐμβάδες [c]).

a) Tertullian. *de Spectacc* XIII. Vnde *cothurnus* pro ſtilo tragico, grandi et ſublimi. Virg *Eclog.* VIII, 10. Propert. II, 25. 41. Quintil. X, 1. §. 68.
b) Xenoph *Hiſtor. Gr.* II. p. 363. lin. 30. Huc reſpicit Lucian. *in Pſeudologiſta* p. 440. Schol. Ariſtoph *ad Ran.* 47.
c) *Virorum calceamenta* apud Schol. Ariſtoph. *ad Eccleſiaz.* 47. Plura de his Spanhem. ad Ariſtoph. *Plut.* 759.



CAP. XVIII.

DE FVNERVM AC SEPVLTVRAE RITIBVS, ET PRIMO DE RITV OBSERVATO IN MORIBVNDIS.

I. Moribundis aliquis ex capillis reſecabatur, et Diis infe is dicabatur: quo ſignificabatur Morti iam deuotum eſſe talem hominem.

Eurip.

Eurip. *Alcestid.* 75. Virg. *Aen.* IV, 698. Huc alludit Horat. I, 28. 20. Martial. *III*, 43. In originem ritus inquirunt Ruaeus *ad Virg. l. c.* et Dacerius *ad Horatii l. c.* Conf. Guilielmus Canterus *in Nou. Lectt.* IV, 20.

II. Mercurio preces fundebant [a]), quia is animas ad inferos deducere credebatur [b]): quae preces ἐξιτήριοι εὐχαὶ dictae [c]).

a) Exemplum est apud Valer. Max. *II*, 6. *extern.* 8.

b) Homer. Οδ. ω. v. 1. seqq. Virgil. *Aen.* IV, 242. Horat. *I. Od.* 10. v. 17. et *Od.* 24. v. 18.

c) Etymol. Auctor ἐξιτήριοι εὐχαὶ, ἐφόδιοι τοῖς πρὸς ἔξοδον ἔχουσιν, ἢ πρὸς θάνατον.

III. Propinqui ad lectum moribundi adstantes, vltimum vale ipsi dicebant [a]), eum amplexabantur [b]), vltima verba ex ore eius excipiebant [c]), imo extremum spiritum in os excipere studebant [d]).

a) Eurip. *Heraclid.* v. 600.

b) Eurip. *Alcestid.* 403.

c) Homer Ιλ. ω. v. 743. sq.

d) De Siculis hoc testatur Cicero *in Verrem* V, 45. De Anna sorore Didus Virg. *Aen.* IV, 685. Ad quem locum consule Cerdanum. Morem quoque hunc Romanorum fuisse, manifestum ex Consolatione ad Liuiam Augustam v. 97. et 158.

IV. Quum moreretur quis, aera pulsabantur, quorum vi cacodaemones pelli putabantur, ne animam in Tartara auferrent.

Huius superstitionis vestigia sunt apud Schol. Theocriti *ad Idyll. II.* v. 36. Adde Macrob. *Saturn.* V, 19. et Virg. *Aen.* VI, 540. Quibus superstitiosis opinionibus, praeeuntibus Homero et Pythagora, imbuti veteres fuerint de corpore mortui, de eius anima, deque

que subtili animae corpore vid. Dacerius *ad Horat. I*, 24. 25.

V. *Mori* proprio verbo θνήσκειν et ἀποθνήσκειν exprimitur: sed ad vitandum hoc mali ominis verbum, saepe molliora adhibebant alia, quae vel *dormire* vel *discedere*, vel *vixisse* et *fuisse* significant, vel *pati quid* &c. vt ἀπέρχεσθαι a), οἴχεσθαι b), εὕδειν c), κοιμᾶσθαι d), βεβιωκέναι e), παθεῖν τι &c. f).

a) Heliodor. *Aethiop.* VIII. pag. 400. lin. 24. μετὰ Ἀρσάκην ἀπελθοῦσαν *post Arsaces mortem.* Aelian. *V. H. II.* 25. plenius dicit ἀπελθεῖν τοῦ βίου. Plura vide apud Elsnerum *ad Matthaei* c. XXVI, 24.

b) Eustath. *ad* ιλ. α. pag. 90. lin. 2. Eurip. *Alcest.* 316. Sic exponunt quidam Homer. οδ. ξ. 144. Compositum ἀποίχεσθαι est apud Laert. III, 83. Mors *sopor perpetuus* est Horat. Od. I, 24. v. 5. *Dura quies* et *ferreus somnus* Virg. X, 745. et XII, 309. Quam mollia in his sunt *Substantiua*, tam dura *Adiectiua*.

c) Aeschyl. *Eumenid.* v. 708.

d) Callimach. *epigr.* X, 2. Matth. XXVII, 52. 1 Cor. XV, 18.

e) Plutarch. *in Cicerone* p. 871 D. ἔζησαν οὕτω Ῥωμαίων οἱ δυσφημεῖν μὴ βουλόμενοι, τὸ τεθνάναι σημαίνουσιν.

f) Homer. ιλ. φ. 274. et οδ. δ. 820. Herodian. V, 7. §. 1.

CAP. XIX.

DE RITV ERGA MORTVOS ANTE EXEQVIAS PERACTO.

I. Simul quis exspirauerat, claudebantur ei oculi a), quod graece συγκλείειν b), καθαιρεῖν c), συναρμόττειν ὀφθαλμοὺς dicitur d).

a) Vid.

a) Vid. de hoc ritu Kirchmannus *de Funer. Rom.* I, 6.

b) Eurip. *Hecub.* 430.

c) Homer. ιλ. λ. 453. οδ. λ. 425. οδ. ω. 295.

d) Eurip. *Phoeniss.* 1460.

II. Os quoque claudebatur.

Homer. οδ. λ. 425.

III. Facies velamento tegebatur.

Eurip. *Hippolyt.* 1458. *Hecub.* 432. Huc etiam retulerim Homer. οδ. ω. 292.

IV. Membra omnia extendebantur et componebantur rite. Quod ὀρθοῦσθαι a), vel ἐκτείνεσθαι b).

a) Eurip. *Hippolyt.* 786. Conf. Casaub. *ad Theocrit. Idyll. I*, 139. in *Lectt. Theocrit.* c. 1. p. 241.

b) Eurip. *l. c.* et v. 789.

V. Tum cadauer abluebatur aqua calida a) et vngebatur b).

a) Homer. οδ. ω. 44. sq. Eurip. *Phoeniss.* 1239. et 1661. Actor. IX, 37. Aelian. *V. H.* IV, 1.

b) Homer. ιλ. σ. 350. Vnde intelligitur lepos Martialis III, 12.

VI. Hoc facto, veste inuoluebatur, dein pretiosa veste ornabatur, quae plerumque erat alba.

Haec tria cognoscere licet ex Homer. ιλ. σ. 352. Adde οδ. β. 97. sq. Eurip. *Alcest.* 156. seq. De alba veste Plutarchus etiam testis *in Arato* p. 1051. E.

VII. Sertis et corollis etiam ornabatur.

Eurip. *Phoeniss.* 1626. cum Schol. Aristoph. *Ecclesiaz.* 533. *Anthol. II.* p. 173.

VIII. Tum

VIII. Tum *proponebatur*, vel *collocabatur* cadauer in ipso aditu aedium a), quod προτίθεσθαι dicebatur b), pedibus ianuam versus protensis c).

a) Schol. Aristoph. *ad Lysistr.* 612. Causam huius *collocationis* προθέσεως indicat Pollux VIII, 7. segm. 65. Vid. Suidas in Προὔκειτο. Nam et huic verbo hac in re vsus.

b) Demosth. *in Macartat.* p. 666. C. Lysias *contra Eratosth.* p. 92. Lucian. *de Luctu* p. 302. Adde Eurip. *Hecub.* 613.

c) Homer. ιλ. τ. 212. et Eustath. *ad h. l.* p. 1246. lin. 3. sq. Vid. Scaliger *ad Festum in Conlucare.*

IX. Numus in os defuncti dabatur paulo ante sepulturam a), qui esset naulum Charonti debitum pro transuectione animae b). Erat is *obolus* c), vocaturque proprio nomine δανάκη d).

a) Schol. Aristoph. *ad Ran.* 140.

b) Lucian. *de Luctu* p. 302. Hinc et ναῦλον seu ναῦλος dicitur merces illa pro vectura Charonti data, et πορθμεῖον. Eustath. ad οδ. p. 728. lin. 33. Cui iunge Callimach. *in Fragm.* p. 247. in Δανάκης et p. 361. n. 110.

c) Lucian. *Dialog. Mort.* p. 308. p. 264. *Cataplo* p. 422. Vnius oboli et Lucianus, et alii meminerunt: duorum vero Aristophanes *in Ran.* v. 140. magis ex comica libertate, quam rei veritate, iudice Hemsterhusio *ad Lucian. Dial.* p. 17. vbi plura de hoc naulo. Iuuenal. III, 267. hoc portorium fuisse trientem scribit.

d) Potius a Barbaris, quam Graecis ita vocatus videtur Etymol. M. in Δανάκης, qui vocat *nomen barbaricum*, et Polluc. IX, 6. segm. 82. qui a nonnullis pro *Persico numismate* haberi scribit. Vid. Suidas et Hesychius in Δανάκη. De Hermionensibus naulum

lum hoc non ſoluentibus, ſed immunibus Strabo VIII. p. 257.

X. Praeterea ad placandum Cerberum in os defuncti imponebatur placenta mellita.

Schol. Ariſtoph. *ad Lyſiſtr.* 601. Virg. *Aen* VI, 420. hanc μελιττȣ̃ταν vocat *melle ſoporatam et medicatis frugibus offam*, vel vt quidam legunt *ſaporatam* i. e. *ſapore conditam.*

XI. Omnis haec cura circa mortuos proprio verbo συγκομίζειν a) et συγκομιδὴ exprimitur c).

a) Schol. Aeſchyl. *ad Septem contra Thebas* 1032.

b) Schol. Aeſchyl. *l. c.* Dicitur et ἐκφορὰ ab Aeſchylo ipſo: κήδευμα ſecundum ſcholiaſtae Aeſchyli expoſitionem: κηδεία Herodian. I, 5. 8. I.

XII. Donec cadauer eſſet in aedibus, prae foribus poſitum erat vas aquae, cui nomen ἀρδάνιον d): iſthac aqua ſe abluebant, qui contactu cadaueris pollutos ſe exiſtimabant b).

a) Pollux VIII, 7. ſegm. 66. Heſych. in Ἀρδανίαι. Conf. Caſaub. ad *Theophr. Charact.* XVI. περὶ δεισιδαιμονίας p. 339. qui cum hac aqua luſtrali comparat βαπτισμὸς ἀπὸ νεκρȣ̃ apud auctorem Eccleſiaſtici XXXI, 25.

b) Ariſtoph. *Eccleſiaz.* 1025. etiam ὄστρακον. Eurip. *Alceſt.* 99. autem vocat πηγαῖον χέρνιβα ἐπὶ φθιτῶν πύλαις i. e. *fontanam manibus abluendis aquam ante defunctorum fores.* Heſych. πηγαιον vocari ſcribit in hac voce, reſpiciens fortaſſe ad locum *Euripidis*, vt Kuſterus iudicat *ad Ariſtoph. l. c.*



CAP.

CAP. XX.

DE FVNERIS ELATIONE.

I. *Efferre* funus graece propriis verbis ἐκφέρειν a) et ἐκκομίζειν b), vnde nomina ἐκφορά c) et ἐκκομιδὴ d), exprimitur.

a) Demosth. *in Macartat.* p. 666. C.
b) Aelian. *V. H.* VIII, 4.
c) Thucyd. II, 34.
d) Lucilius *in Anthol. II*, 32. *epigr.* 4. p. 156.

II. Efferebantur apud Athenienses funera ante solis exortum, idque lege sancita.

Demosth. *in Macartat.* p. 666. C. Cicero *de Legg. II*, 26. qui huius legis auctorem facit Demetrium Phalereum; quum Demosthenes *l. c.* Solonem.

III. Apud alios Graecos de die, non de nocte efferebantur cadauera a): et tamen taedae ardentes adhibitae b).

a) Hoc colligunt ex Cassandrae verbis apud Eurip. *in Troad.* 446.
b) Nempe ad rogum accendendum. Vid. Kirchmannus *de Fun. Rom. II*, 3.

IV. Tantum iuuenes, qui florente aetate excesserant, ad auroram efferebantur et sepeliebantur.

Heraclid. *Pont. in Allegor.* sub fin. p. 492. Exempla iuuenum primo diluculo elatorum sunt apud Homerum *Achilles* ὀδ. ω. 72. *Patroclus* ιλ. ψ. 226. et alii, de quibus Galeus *ad Heraclid. l. c.* Conf. Muret. *Var. Lectt. XIII*, 2. Vid. Vossius *ad Melam III*, 7. p. 575.

V. Cadauer olim elatum videtur sine vllo instrumento a), dein vero feretro impositum exportabatur a vespillonibus b). Virorum militarium

rium cadauera ſcuto impoſita efferebantur c), praeſertim apud Lacedaemonios d).

a) Euſtath. ad ιλ. ψ. 136. p. 1402. lin. 26.
b) Eurip. *Alceſt.* 607.
c) Virg. *Aen.* X, 506.
d) Hoc vulgo ex Lacaenae illius peruulgato ad filium dicto probant: ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς: quod cum apud alios, tum apud Plutarch. *in Apophth. Lacaenarum* p. 241. F. legitur.

VI. Funus comitabantur amici et propinqui a), etiam alii ad id inuitati, non modo viri, ſed etiam mulieres b). Quibusdam tamen in locis funeribus adeſſe non licebat, niſi propinquis c). Athenis etiam ex lege Solonis mulieribus nondum LX. annos natis, praeterquam cognatis, interdictum fuerat d).

a) Thucyd. II, 34. Sophocl. *Aiax Maſtig.* 1189. Vid. Ariſtot. *Ethic.* IX, 11.
b) Eurip. *Alceſt.* 629.
c) Cic. *de Legg.* II, 26.
d) Demoſth. *in Macartat.* p. 666. C. ſq.



CAP. XXI.

DE LVCTV FVNEBRI.

I. Lugentes ab epulis abſtinebant a), et ab omni re, quae laetitiam dare poterat, vt a vino, muſica, ludis et ſolemnibus publicis b); ſed in ſolitariis locis et tenebricoſis ſedebant c).

a) Lucian. *de Luctu* p. 307.
b) Eurip. *Alceſtid.* 341.

c) Homer. οδ. δ. 101. Sed talem luctum tanquam immodicum damnat Plutarch. *in Consol. ad vxor.* p. 610. A.

II. Corporis ornamenta quaeuis exuebant a), et vestes induebant lugubres b), quae erant ex crassiore panno confectae c), et colore nigro d).

a) Lycophr. *Cassandr.* 862. Ouid. *Met.* VI, 566.

b) Terent. *Heaut.* II, 3. 45.

c) Ita sunt, qui locum Terentii modo citatum explicandum putent.

d) Eurip. *Helen.* 1094. *Alcestid.* 215. et 427. De hoc more pluribus populis communi Perizon. *ad Aelian.* XII, 1. n. 32.

III. Comam vellebant et tondebant, vel radebant, vbi promissam gerebant.

Homer. οδ. δ. 197. ω. 45. sq. Herodot. II. p. 115. E. Xenoph. *Hellen.* I. p. 350. lin. 9. Aelian. *V. H.* VII, 8.

IV. Humi etiam in puluere et luto se volutabant, qui in graui erant luctu.

Lucian. *de Luctu* p. 303. Homer. ιλ. ω. 640.

V. Cineres in caput spargebant.

Lucian. *l. c.* Homer. ιλ. σ. 23. sq. Ouid. *Met.* VIII, 525. sq.

VI. Quum foras prodibant, capita velata habebant.

Anthelog. V. *epigr.* 33. quod est *in Odysseam et Hecubam* 13. pag. 389. Eurip. *Supplic.* III. *Orest.* 294. Videndus de hoc more faciem in luctu velandi Lamb. Bos *ad Marc.* XIV, 72.

VII. Pectora manibus plangere a), genasque lacerare solebant b).

a) Lucian. *de Luctu* pag. 303. Ouid. *Heroid.* XV, 113.

b) Lucian. *de Luctu* p. 303. hoc vocat φοινίσσειν παρειὰς *genas cruentare* et pag. 304. τὸ πρόσωπον ἐξ ἐπιπολῆς ἀμύσσειν. Vide, quae notantur a viris doctis ad Petron.

Petron. c. CXI. vbi matrona illa Ephesia habuisse dicitur *faciem vnguibus sectam.* Hoc luctus genus Solonis lege vetitum. Cic. *de Legg. II,* 25.

VIII. Vocem edebant lugubrem, dicentes ἒ, ἒ. Aeschyl. *Septem contra Thebas* 333. Ἀπὸ τοῦ ἒ, ἒ λέγειν *elegos* dictos scribit Schol. Aristoph. *ad Au.* 217. Etiam αἶ, αἶ inter lugubres voces pertinere, ea arguunt, quae de Hyacintho in florem mutato passim apud veteres leguntur. Vide, quae notantur ad Ouid. *Met. X,* 215. Fortasse αι diphthongum eodem modo Graecorum quidam extulerunt, quo simplex ε. Id quod firmare videtur ea, quae tradit Rutgersius *in Var. Lectt. II,* 5. p. 206.

IX. Vt Romanis in funere erant *praeficae* a), ita Graecis erant etiam ἔξαρχοι θρήνων b), qui cantu lugubri aliis praeibant, et tristitiam ciebant c).

a) Festus in *Praeficae.* Plaut *Trucul. II,* 6. 14.

b) Homer. Ιλ. ω. 721. Eustath. *ad h. l.* p. 1513. lin. 36.

c) De re vid. Lucian. *de Luctu* p. 306.

X. Cantus illi ὀλοφυρμοὶ a) dicuntur, et ἰάλεμοι b), etiam λῖνοι, et αἴλινοι c).

a) Athenaeus XIV, 3. p. 619. B.

b) Eurip. *Suppl.* 281. *Troad.* 600. Hesych. in Ἰάλεμοι.

c) Vtramque vocem explicant Athenaeus XIV, 3. p. 619. B. Eustath. ad Ιλ. pag. 1223. lin. 8. ex Athenaeo, et Schol. Apollon. Rhod. ad lib. IV. p. 294.

XI. Triplices erant: primus, dum procedebat funus, alter canebatur ad rogum, tertius ad tumulum.

Huc referunt neniam, epitaphium, et cantum ἐπικήδειον seu θρῆνον ἐπικήδειον i. e. *carmen funebre, ex Suida in hac voce.* Vid. Iul. Caesar Scaliger *Poetic. I,* 50. p. 117.

p. 117. et *III*, 121. p. 385. *De luctu ad tumulum* vid. Elsnerus *ad Io. IX*, 31.

XII. Denique *tibiae* in funeribus adhibitae ad maiorem mouendam tristitiam.

Lucian. *de Luctu* p. 305. meminit τῆς πρὸς τὸν αὐλὸν στερνοτυπίας *planctus ad tibiam*. Vid. Eurip. *Troad* 126. Schol. Aristoph. *ad Au.* 217. Suidas in Ἔλεγος. Interpretes ad Matth. IX, 23. et qui citantur a Spencero *de Legg. Hebr. Rit.* p. 1135. a Zornio *in Biblioth. Antiqu. Exeg.* p. 581.



CAP. XXII.

DE SEPVLTVRA ET COMBVSTIONE CADAVERVM.

I. Antiquissimis temporibus terra condebantur cadauera [a]). Sic apud Athenienses tempore Cecropis [b]).

a) Cic. *de Legg. II*, 22. De more Sicyoniorum defunctos humandi Pausan. *Corinth.* VII, p. 126. de Persarum Lucian. *de Luctu* pag. 306. De Romanorum Plin. VII, 54. De origine moris comburendi cadauera Eustath. ad Ιλ. α. p. 32. lin. 35.

b) Cic. *de Legg. II*, 25.

II. Corpus in feretro supinum iacebat, et in sepulcro caput obuersum occidenti reponebatur, vt facies solem spectaret orientem, apud Athenienses reliquosque Graecos, apud Megarenses vero contra.

Aelian. *V. H.* VII, 19. et V, 14. Plutarch. *in Solone* p. 83. E.

III. Mos

III. Mos comburendi corpora ab Hercule introductus est a), et per omnem Graeciam inualuit deinceps b).

a) Scholia minora ad ιλ. α. v. 52. Eustath. ad ιλ. α. p. 32. lin. 35. sq.

b) Ita tamen, vt hic mos non necessario obseruandus fuerit, nec ab omnibus semper obseruatus, vt constare videtur ex Pausania *Corinth.* VII. p. 126. et Platonis *Phaedone* §. 85. circa finem Dialogi.

IV. Lignorum congeries, super qua reponebatur corpus, dicta πυρά.

Homer. ιλ. α. 52. ω. 786. ψ. 164.

V. Iniiciebantur in pyram pariter animalia diuersa a), vnguenta, et odores b).

a) Homer. οδ. ω. 65. ιλ. ψ. 166.

b) Homer. οδ. ω. 67. vide Kirchmannum *de Funer. Rom. III*, 4. et 5.

VI. Etiam vestes, quas quis gestauerat, in pyram coniiciebantur a), militum quoque arma b).

a) Lucian. *in Nigrino* p. 38. Eurip. *Rhes.* 960.

b) Homer. ιλ. ζ. 418. οδ. λ. 74.

VII. In funeribus Praefectorum exercitus, milites, omnesque, qui aderant, ter decurrebant circum rogum solemniter in defuncti honorem a), et quidem a dextra ad sinistram b).

a) Homer. ιλ. ψ. 13. οδ. ω. 68. Apollon. Rhod. *I.* v. 1059.

b) Statius *Theb.* VI, 215.

VIII. Interim dum pyra ardebat, adstantes amici defuncti vina libare a), et manes inuocare defuncti solebant b).

a) Homer. ιλ. ψ. 220. Lucian. *de Luctu* p. 305.

b) Homer. *l. c.* et Aeschyl. *Choephor.* 86. et v. 128.

IX. Absumta pyra, in ignem, qui relictus erat, effundebatur vinum, et sic exstinguebatur.

Homer. ιλ. ω. 791. ψ. 250. Virgil. *Aen.* VI, 227.

X. Tum propinqui cognatione ossa et cineres legebant.

Homer. ιλ. ψ. 237. ω. 791. Pindar. *Pyth.* Od. antistr. γ. v. 7. Hoc munus dicitur Ὀϛολόγιον in *Gloss. vet.* et Ὀϛολογία a Diod. Sic. IV, 39. p. 243. Latine *Ossilegium*. Vid. Kirchmannus *de Fun. III*, 6.

XI Ossa vino abluta, condiebantur oleo.

Homer. οδ. ω. 73. Tibull. *III*, 2. 19.

XII. Ea vna cum cineribus reponebantur in vrnis [a]), quae Graecis vocantur *κάλπαι* [b]), *κρωσσοὶ* [c]), *λάρνακες* [d]), *ὀϛοθῆκαι* [e]) &c. erantque ligneae [f]), lapideae [g]), argenteae [h]), vel aureae [i]).

a) Homer. ιλ. ψ. 243. ω. 795. οδ. ω. 74.

b) Herodot. III, 15. §. 16. IV, 1. §. 6. 7.

c) Moschus *Idyll.* IV, 34.

d) Homer. ιλ. ω. 795. Idem οδ. ω. v. 74. vocat ἀμφιφορῆα talem vrnam.

e) Lycophron *in Cassandra* 367. item ὀϛοδοχεῖα. Vid. Kirchmannus III, 8.

f) *Ex cedro.* Eurip. *Alcest.* 365.

g) Xiphilin. in *Seuero*.

h) Ammian. Marcell. XIX.

i) Homer. ιλ. ψ. 243. Moschus *Idyll.* IV, 34.

CAP. XXIIII.

DE MONVMENTIS ET SEPVLCRIS.

I. Extra vrbes sepeliri passim in Graecia consueuerunt mortui [a]), et quidem iuxta vias publicas

blicas b), ne ſcilicet ciues contactu cadauerum pollueréntur c), aut ſepulcrorum, cadauerumque foetor iis noceret d).

a) Cic. *ad Diu.* IV. 12. §. 9. Liu. XXXI, 24. ſub fin. Conf. Kirchmannus *II*, 20. qui p. 265. ex Platonis Minoe docet, in ſuis quemque aedibus fuiſſe vetuſtiſſimis temporibus ſepultum. Quem morem ſua aetate ſeruari negat Plato eodem loco citati libri.

b) Eurip. *Alceſt.* 835 *Rheſ.* 881. Menander *in Fragm. ex incertis comoed.* n. 258. p. 276. Theocrit. *Idyll.* VII, 10. Pauſan. *Attic. II*, p. 6. et paſſim.

c) Eurip. *Iphigen. in Taur.* 380. Lucian. *de Dea Syria* p. 682 Kirchmannus II, 21.

d) Hanc cauſam tradit Iſidorus *Orig.* XIV. c. XI.

II. Legimus tamen aliquando intra vrbes in loco conſpicuo humatos mortuos. Sed id tanquam inſigne beneficium viris tantum praeſtantiſſimis, quique optime de rep. erant meriti, fuit tributum.

Ita Magneſiorum in foro tumulus Themiſtocli extructus. Plutarch. *in Themiſtocle* p. 128. C. Ita Braſidas, honoris cauſa, ſepelitur in ipſa vrbe Thucyd. V, 11. Idem Euphroni accidit apud Xenoph. *in Hellen.* VII. p. 495. lin. 3.

III. Lacedaemoniis conceſſit Lycurgus ſepelire ſuos mortuos intra vrbes, imo circa templa.

Plutarch. *in Lycurgo* p. 56. B.

IV. Precabantur amicis virisque praeclaris, vt terra ipſis leuis eſſet a), contra inimicis et improbis grauis b).

a) Eurip. *Alceſtid.* 462.

b) Vid. Callimach. *Epigr.* XXVIII. p. 203. Kirchmannus *III*, 9. p. 390.

 V. Apud

V. Apud seculum prius vulgaria sepulcra erant tantum cauernae, ὑπόγαια dictae.

Homer. ιλ. ω. 797. cum Schol. Etymologus in voce Ηρία. Vid. Kirchmannus *III*, 15.

VI. Secutis vero temporibus magna cura et arte fabricata monumenta illustrium maxime virorum, ex lapide plerumque.

Vid. Petron. *de matrona Ephesia* c. CXI. Cic. *ad Diu.* IV, 12. Ex lapide etiam sepulcrum seruatoris apud *Marcum* XV, 46 *Matth.* XXVII, 60. De quibus locis vid. Salmasius *ad Solin.* p. 851.

VII. Vulgaria vero sepulcra ex terra solum, vnde χώματα dicta.

Eurip. *Hecub.* 221. Hinc χέειν σῆμα *aggerere tumulum.* Homer. ιλ. ω. 801. et χώννυσθαι de *tumulatis.* Anthol. *III*, 14. *epigr.* 14. Vid. Pausan. VIII, 16. p. 632.

VIII. Lapidea poliebantur, vnde ξεστοὶ τάφοι vel τύμβοι.

Eurip. *Alcestid.* 836. *Helen.* 992.

IX. Ornabantur etiam sepulcra columnis lapideis, quae dicuntur στῆλαι a), habebantque inscripta epigrammata b).

a) Homer. ιλ. λ. 371. ρ. 434. Pindarus *Nem.* Od. X. Epod. δ. v. 1. 2. talem columnam *vocat* ἄγαλμ' Ἀΐδα, ξεστὸν πέτρον *statuam Plutonis, politum saxum.*

b) Theophrastus in *Charact. Eth.* c. XIV. περὶ περιεργίας. Diog. Laert. I, 48. Callimach. *epigr.* XVI. p. 196. Ex instituto Lycurgi non nisi bene meritorum nomina inscribere sepulcris licebat. Plutarch. *in Lycurgo* p. 56. B. Talis inscriptio Graece ἐπιγραφή Artemid. V, 75. Latine *titulus* vocatur. Ouid. *Heroid.* XIV, 128.

X. Etiam

X. Etiam ſaepe imaginibus exornata erant.

Ita in Iſocratis cippo poſitus fuit aries, cui Siren incumberet. Plutarch. *in Decem Oratoribus* n. IV. p. 838. In Diogenis Cynici tumulo canis ex lapide Pario. Diog. Laert. VI, 78. In Archimedis denique ſepulcro ſphaera fuit poſita cum cylindro. Cic. *Tuſc. Qu.* V, 23. Quaenam imago virginum tumulis ſuperimpoſita fuerit, vide apud Pollucem VIII, 7. ſegm. 66.

IX. Quia haec fiebant ad defunctorum memoriam conſeruandam, hinc ſepulcra dicta μνημεῖα [a]), μνήματα [b]), σήματα [c]).

a) Lucian. *in Philopſeud.* p. 349. Marc. XV, 46.

b) Theophraſt. *in Charact. Eth.* c. XIV. περὶ περιεργίας. Pauſan. *Corinth.* XX. p. 156.

c) Callimach. *epigr.* XVIII. 4. p. 197. Ariſtoph. *Eccleſiaz.* 1100. *Thesmophor.* 893.

XII. Sed praeter haec ſepulcra, in quibus cadauera, aut cineres, et oſſa erant condita, exſtruebantur etiam aliquando monumenta honoraria [a]), in quibus non erant cadauera, nec oſſa aut cineres [b]), quae ideo dicta κενοτάφια [c]), et κενήρια [d]).

a) Κενεὸν σῶμα eſt apud Callimach. *epigr.* XVIII, 4. *Honorarius tumulus* apud Sueton. *in Claudio* cap. I. *Tumulus inanis* apud Virgil. *Aen.* III, 304. VI, 505.

b) Talem tumulum cadauere vacuum Pallas a Telemacho iubet exſtrui Οδ. α. 291. Talem exſtruit etiam Menelaus in Aegypto, audita fratris Agamemnonis morte Οδ. δ. 584. Tali modo ſe ſuum maritum velle ſepelire fingit Helena apud Eurip. *in Helena* 1255. ſqq.

 c) Suidas

c) Suidas in Κενοτάφια. Vnde κενοταφεῖν *tumulum inanem erigere.* Eurip. *Helen.* 1562. Vtitur et graeca voce Lamprid. *in Alexandro* 63.

d) Lycophron *in Cassandra* 370. ad quem locum lectu digna notauit Meursius.

XIII. Horum alia exstruebantur in honorem virorum insignium, qui alio in loco iam erant humati [a]) : alia erant insepultorum, quorum manes quiescere non posse credebant, nisi sepulcrum inane ipsis dabatur [b]) ad quod ter voce alta defunctorum manes vocabantur [c]).

a) Tale sepulcrum Euripidis *apud Pausan. Attic. II*, p. 6.

b) Exemplum rei est apud Thucyd. II, 34. et apud Xenoph. *de Exped.* VI. p. 297. lin. 54. Huc pertinet sepultura imaginaria in mari mortuorum apud Eurip. *Helen.* 1257. De Sepultura imaginaria ad eorum manes placandos excogitata, qui vitam laqueo finiissent, quibus lex sepulturam negabat. Vid. Kuhnius *ad Pausan. Phocic.* c. XXIX. p. 869. De aliis cerimoniis insepultorum in gratiam obseruatis vid. interpretes *ad Horat.* I. Od. 28. Festus *in Praecidania.* Interpretes *Petronii.*

c) Homer. Οδ. ι. 64. sq. et Eustath. *ad h. l.* p. 235. lin. 4. Pindar. *Pyth.* Od. IV. Epod. ζ. v. 9. sqq. et Schol. *ad h. l.* Virgil. *Aen. VI*, 506. Huc alludit Bacchus apud Aristoph. *in Ran.* 1207. Haec manium euocatio dicitur ψυχαγωγία, vt obseruat Eustathius *l. c.* A quo ψυχαγωγίας genere paulum differt ψυχαγωγία illa magica, de qua supra in Capite *de Diuinationibus.*



CAP.



CAP. XXIV.

DE ALIIS HONORIBVS EXHIBITIS DEFVNCTIS.

I. Ad tumulum laudabantur defuncti a), praesertim si fuissent viri egregii, bene de patria meriti b), aut fortiter pugnando occubuissent c).

a) Lucian. *de Luctu* p. 307. De origine laudationum funebrium Plutarchus *in Poplicola* p. 102. A. Dionys. Halic. *Archaeol.* V. p. 291. lin. 5. sqq.

b) Dionys. Halicarn. *Archaeol.* V. p. 291. lin. 30. Romanorum et Atheniensium laudationes funebres inter se confert, atque in illis plus sapientiae Romanos, quam Athenienses, demonstrasse iudicat. Athenienses enim tantum eos, qui gloriose in bello cecidissent, laudasse: Romanos autem quoscunque viros egregios, beneque de patria meritos.

c) Plato *in Menexemo* circa initium. Thucyd. II, 34. Exemplo esse possunt laudatio funebris seu ἐπιτάφιος *Lysiae*, quae est inter eius Orationes secunda p. 11. et denique Demosthenis λόγος ἐπιτάφιος p. 152.

II. Ludi funebres in eorum honorem instituebantur.

Pausan. *Arcad.* IV. p. 605. primo Azani in Arcadia defuncto huiusmodi ludos factos scribit: quorum exempla passim occurrunt apud *Homerum* ιλ. ψ. 274. sq. 680. οδ. ω. 85. sq. apud *Thucydidem* V, 11. apud Plutarch. *in Timoleonte* p. 255. B. &c.

III. Per-

III. Peractis exequiis, conuiuium agitabatur in aedibus eius, qui proxime contingebat defunctum a), quod vocatur περίδειπνον b), νεκρόδειπνον c) et τάφος d).

a) Qui proxime contingebant defunctum, eos quidem praebere oportebat epulum funebre, sed non in suis aedibus. Deligebantur ad id saepe aedes alicuius, qui amicus, coniunctusque defuncto fuerat. Id quod perspicue intelligitur ex Demosth. *de Corona* pag. 353. C. Sic apud Homerum ιλ. ψ. 28. in Patrocli funere ad epulum admittit conuiuas Achilles, qui coniunctissimus ei fuerat in vita.

b) Demosth. *de Corona* pag. 353. B. Lucianus *de Luctu* p. 307.

c) Νεκρȣ̃ δεῖπνον, duabus vocibus, est apud Stobaeum *sermon.* 55. pag. 227. et Artemidorum I, 5.

d) Homer. ιλ. ψ. οδ. γ. 309. Hesiod. Ἐργ. 735. Graeuius *in Lectt. Hesiod.* c. XV. pag. 76.

IV Quod de mensa decidebat in tali epulo, manibus erat sacrum a), et ad sepulcrum deferebatur, vt scilicet eo vescerentur manes b).

a) Athenaeus X, 7. pag. 427. E. Ad quem ritum alludere creditur Pythagoras apud Laertium VIII, 34. et secundum Muretum, et quosdam alios Tibullus I, 6. v. 17. de quibus Broukhus. *ad h. l.*

b) Colligitur ex Terentii *Eunuch. III*, 2. 38. Catull. *carm.* 60. Vid. Interpretes ad Plaut. *Pseudol. I*, 3. 127. Festus *in Culina.*

V. Antiquis temporibus in epulis huiusmodi non confabulabantur homines; sed deinceps

inceps de laudibus defuncti sermones caedebant a). Vnde prouerbium: οὐκ ἐπαινεθείης οὐδ' ἐν περιδείπνῳ, *de homine nequam* b).

a) Cic. *de Legg. II*, 25.

b) Suidas in Οὐκ ἐπαινεθείης.

VI. Lampades ardentes etiam in monumentorum antris subterraneis ponebantur.

Fuisse hunc Graecorum morem, constat ex Petron. c. CXI. fuisse et Aegyptiorum ex Herodot. II. pag. 157. D. fuisse denique et Romanorum, ex Modestino lin. 44. ff. *de manum. testam.*

VII. Tumulos herbis floribusque conspergere solebant a), vt amaranto b), rosa c), myrto d), praecipue apio e), vnde prouerbium: δεῖσθαι σελίνου, *de eo, qui ad desperationem aegrotabat* f).

a) Sophoclis *Electra* 896.

b) Philostrat. *Heroic.* c. XIX. p. 741.

c) Anacreon Od. LIII, 25. Aristaenet. I. *ep.* 36. p. 162.

d) Eurip. *Electr.* 323.

e) Polyaenus *Stratag.* V, 12. §. 1. Suidas in Σελίνου στέφανος.

f) Plutarch. *in Timoleonte* p. 248. D. Suidas in Σελίνου δεῖται ὁ νοσῶν et τοῦ σελίνου δεῖται.

VIII Sacrificia et libamina iis peragebantur in foueis.

Homer. ὀδ. λ. 26. sq. vbi haec libamina dicuntur χοαί. Eurip. *Iphig. in Taur.* 160. *Electra* 509. sq. Qui offerunt talia libamina, τυμβεύουσι χοὰς dicuntur Sophocli *in Electr.* 408. Confer versus Cleidemi *apud Athenaeum IX*, 18. sub fin. p. 410. A.

IX. Sacrificia erant ex nigris ouibus a), nigrisque ac ſterilibus iuuencis b), ex quarum fronte pili primi dicabantur, quod proprio verbo ἀπάρχεσθαι dicebatur c), ipſique pili ἀπαρχαί d).

a) Eurip. *Electra* 513. Senec. *Oedipod.* 556.

b) De nigris iuuencis Virg. *Aen.* V, 97. VI, 243. De ſterilibus Homer. οδ. κ. 522.

c) Homer. οδ. γ. 445. ξ. 422. Adhibetur vero hoc verbum de primis libaminibus in quocunque ſacrificio. Conf. et Eurip. *Electr.* 811. Eodem vero ritu ſacrificia inferorum inchoata fuiſſe, oſtendit Virgil. *Aen.* VI, 245,

d) Eurip. *Oreſt.* 96. et Schol. *ad h. l.*

X. Libamina erant ex ſanguine a), aqua b), vino c), lacte d), praecipue melle e), quod mortis ſymbolum habitum &c. f). Hiſce placari manes credebant g).

a) Euripid. *Iphig. in Taur.* 163.

b) Sophoclis *Electr.* 436. Kirchmannus *de Funer.* IV, 2. p. 566.

c) Lucian. *de Luctu* p. 305. Virgil. *Aen.* V, 77.
d) Eurip. *Oreſt.* 115.
e) Eurip. *Iphig. in Taur.* 165. 633. ſq.
f) Porphyr. *de Antro Nympharum* p. 235. lin. 21.
g) Eurip. *Iphig. in Taur* 166. Aeſchyl. *Choeph.* 13.

XI. Aqua in hiſce libaminibus adhibita dicebatur χθόνιον λουτρὸν a), et κατ᾽ ἐξοχὴν, λουτρὸν b), Athenis etiam ἀπόνιμμα c).

a) Heſych in χθόνια λουτρά. Suidas in iisdem vocibus.

b) Sophocl. *Electra* 436.

c) Athe-

c) Athenaeus IX, 18. p. 409. F. Euſtath. ad Οδ. α. p. 33. lin. 46. Aeſchyl. *Coephor.* 127. vocat χέρνιβας (v. *ad h. l.* Stanleius p. 818.) quae aliis ſunt λυτρά.

XII. In ſepulcro pueri puer effundebat aquam a), in ſepulcro virginis virgo b): in maritati vero ſepulcro effundebat aquam mulier, quae ἐγχυτρίστρια dicta c).

a) Demoſth. *adu. Leocharem* p. 673. A. Harpocrat. in Λουτροφόρος.

b) Hinc nata videtur conſuetudo in virginum defunctarum monumentis erigendi ſtatuas, referentes imaginem puellarum aqualem tenentium. Pollux VIII, 7. ſegm. 66. Kirchmannus *de Funer.* IV, 2. p. 567.

c) Etymolog. Magnum in Ἐγχυτρίστριαι. Suidas *in hac voce.* Schol. Ariſtoph. *ad Veſp.* 288. vbi tamen pro ἐγχυτρίστριαι legitur ἐγχύτριαι.

XIII. Haec ſacra fiebant manibus nono die a), vt et trigeſimo poſt ſepulturam b), et quotannis iterabantur, idque in plerisque Graeciae locis menſe Antheſterione fiebat c).

a) Hinc ἔνατα dicuntur. Iſaeus *in Orat.* VII. quae eſt *de Cironis hereditate* p. 522. Latinis dicuntur *Nouemdialia.* Vid. Taubmannus *ad Plauti Aulular.* II, 4. 45. Alterius generis *nouemdialia* ſunt, de quibus Liuius aliquoties, v. c. I, 31. XIX, 14. Nam haec prodigii cauſa, non parentandi, fieri ſolebant.

b) Harpocrat. in Τριακάς. Pollux I. 7. ſegm. 66.

c) Caſaubon. *in Athenaeum III,* 19. p. 120.

XIV. Tanta cum cura defunctis officia praeſtiterunt, quae Graecis ὅσια a), δίκαια b), νομιζόμενα c), Romanis *iuſta* d) appellantur.

a) Plu-

a) Plutarch. *in Numa* pag. 67. E. ἐπίσκοπος τῶν περὶ τȣ̀ς θνήσκοντας ὁσίων θεὸς, *Dea praeſes iuſtorum.*

b) Ariſtot. *de Virtutibus*, vbi agit περὶ δικαιοσύνης iuſtitiae partem facit τὴν πρὸς τȣ̀ς κατοιχομένȣς ſc. δικαιοσύνην. Inde ſcilicet officia defunctis praeſtita δίκαια dicuntur.

c) Demoſth. *in Macartat.* p. 667. B. Iſaeus *in Orat. I. de Cleonymi hereditate* p. 364.

d) Cic. *de Legg. II*, 22. Vid. Hieronym. Magius in *Var. Lectt.* ſeu *Miſcell. II*, 19. p. 111. ſq.

XV. Erant tamen, qui funere indigni cenſebantur, vt apud Athenienſes *Patriae proditores* a), et *ſacrilegi* b) &c.

a) Diodor. Sic. XVIII, 67. p. 642. A. Sophocl. *Antigon.* 204. Thucyd. I, 138. Schefferus et Kuhnius *ad Aelian. V. H.* IV, 7.

b) Xenoph. *Hiſtor. Gr. I.* p. 351. lin. 39. Meurſius *in Themide Attica II*, 2. Adde Pauſan. *Lacon.* c. X. p. 230.

FINIS.



INDEX



INDEX RERVM ET VERBORVM.

A

Βαυκαλᾶν

Διμάχοι

Εὐπα-

I

K

Cantus

Κύδων

Λιταὶ

Πρωρεὺς

στάδιον

Σχίζαι

Τετραβόλε

Legg. pagg. 83 lin. 19 σκοπὸς et 231 lin. 9 falsamentum.

FINIS.



BOS
ANTIQ
GRÆC

colorchecker CLASSIC

























calibrite

mm